HIPPOCRATIS
APHORISMI
POETICIS SALIBUS ASPERSI.

AUTHORE.

ANTONIO
PALMERIO
SOC. JESU.

NEAP. Typis Felicis Mosca 1699.

Superiorum Licentia.

EXCELLENTISSIMO DOCTORI

Neapolitano Medico Primæ Notæ, Hippocraticæ Doctrinæ Egregio, & inexpugnabili Defensori.

NAZARIO DE CARO.

HIppocratem tuum Tibi reddo, Excellentissime Doctor, atque in hac Neapolitana Urbe facile Princeps; non illum quidem a me explanatum; quippe neque ego hanc facultatem profiteor, neque sagacissimo tuo ingenio, & eruditioni erat implicatus. Festivus ad Te, & Jô, repetito, accedit liber; nam Hippocraticam Doctrinam in dictis Conventibus tam fortiter, tam feliciter tueris a Decifcentibus, a veteri solidaque transfugis Disciplina, ut ambiguum fiat, utrum Hippocrati

tuo,& communi Magiſtro gratitudinis titulo plus ſis obſtrictus, an ille Tibi, ſuo ſcilicet validiſſimo Aſſertori, ſuo magis debeat fauſtiſſimo Mæcenati. Poeticis aſperſum ſalibus do libellum, non quibus equidem tineas,ac putredinem illi præcaverem, quid enim ab his Immortalis Autor ſibi timeret?ſed eo conſilio,ut Poeſis etiam Sapientiſſimis, & ingenio ſapidiſſimis Aphoriſmis ſapores muſicos adderet ſuos;id quod Tibi fore pergratum,ſpero,cui ſcilicet Muſæ etiam non modicum arriſere. Sume igitur non tam datum, quam redditum; & ſalibus his, ubi male ſapidos ſenſias,a Muſis tuis veniam benigno Animo deprecare.

Excell.[mæ] tuæ Dom.[nis]

Humilis Servus
Antonius Palmerius Soc. Jeſu.

LECTORI.

C*Onsulueram nuper prævio, ut par erat, labore, Christianis Animis, oblato Psalterio Davidico, Prophetarum Canticis, Psalmodia pro Defunctis, tum denique exposito, & defleto Poeticis Næniјs Crucifixi Domini funere: erat animus, ut pijs Illi conceptis affectionibus, bene haberent, & ad Æternam Vitam alimenta desumerent; Corpori nunc associato, qui totum Hominem sanum vellem, pagellis istis salubres, quotquot Deus dederit annos auguror, & exopto. Mitius mecum agas, benigne Lector, si videar extra meum chorum saltare; aliis equidem studiis annos totos, & longos insumpseram; sed, ut Senibus carior, ut dicunt, est Vita, sic & hi labanti, sollicitè fulcra perquirunt: ad Hippocratis Aphorismos confugi, quibus & Musis placuit Poeticos suos Sales inspergere; sic & Tibi etiam utiles, & fortassè sapidiores accedent. Non ego illorum Interpres, & Commentator,*

tator, hoc enim alij, & in primis Hieronymus Cardanus egregiè præſtitit, & a me non ſuccisivas horas, integræ Ætatis expetebat laborioſam ſedulitatem, ſed merus quidam Poeta, quo ferebar æſtro, ad armonica hæc Coi Doctoris Præcepta ſubſilui. Valeas; & valebis, ſpero, ſi Deo bonorum omnium Authori, qui ad commune emolumentum Principem hunc Medicum e Cathedra docentem dedit, pergratus fueris, & Viæ bene explanatæ ad ſanos tuos Dies, & aliorum, ſi tuum hoc erit, non declinato inſiſtas veſtigio.

Andreas

Andreas de Mari Præpositus Provincialis Societatis Jesù *in Regno Neapolitano.*

CUm Libellum, cui Titulus: *Hippocratis Aphorismi Poeticis salibus aspersi*, *à Patre Antonio Palmerio* nostræ Societatis Sacerdote compositum, aliquot ejusdem, Societatis Sacerdotes, quibus commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultate nobis à Patre Nostro Thyrso Conzalez Generali communicata concedimus, ut Typis mandetur; si ita ijs ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & Sigillo Societatis nostræ munitas dedimus. Neapoli die 30. Novembris 1699.

Andreas de Mari.

De

De mandato Eminentissimi Domini.

Dominus Canonicus D. Emmanuel Cicatelli videat, & in scriptis referat. Neap. die 5. Septembris 1699.

JOANNES ANDREAS SILIQUINUS VIC. GENER.

D. Januarius de Auria Can. Dep.

Lectio aurei libelli, cujus titulus *Hippocratis Aphorismi, Poeticis Salibus aspersi*, quem Eminentia tua mandante diligenter persolvi, jucundissima mihi fuit; In eo enim cuncta ad morum probitatem, sanctæque Religionis normam, exacta deprehendi; atque adeo publica luce dignissima, tum ad eruditorum oblectamentum, tum ad felicissimi ingenii testimonium, quod severioris Minervæ laudes amænis Poetarum literis ità cumulavit, ut utrisque meritò videatur laurea donandus Apollinari, si gravissimum Eminentiæ tuæ Judicium accesscesserit 2. Octobris 1699.

Eminentiæ tuæ

Addictissimus Servus

Emmanuel Cicatelli Eccles. Neap. Can. Cardin.

Attenta suprascripta relatione Domini Canonici Revisoris, quod potest imprimi. Imprimatur die 1. Novembris 1699.

JOANNES ANDREAS SILIQUINUS VIC. GENER.

D. Januarius de Auria Can. Dep.

Rev.

Rev. Pater Joannes Marciano videat, & in scriptis referat.

GASCON REG. ANDREASSI REG.
GUERRERO REG.

Provisum per S. E. Neap. 2. Novemb. 1699.

Mastellonus.

Excellentissime Domine.

Magnus in parvo hoc opusculo, cui titulus, *Hippocratis Aphorismi Poeticis Salibus aspersi*, plane apparet R. P. Antonius Palmerius Soc. Jesu ejus auctor; miscuit enim utile dulci, Medicorum quippe Principis oracula poetico sale condiens, ipsam quodammodo medicinæ amaritiem, quæ, vel solo nomine, nauseam, fastidiumque excitat, verborum concinnitate, figurarum lepore, ac metri suavitate sapidam, dulcemque reddidit; quapropter opus prælo dignissimum censeo, cum nihil præterea contra Regiam Jurisdictionem contineat, si ita tamen Excellentiæ Tuæ videbitur. Neap. ex Ædibus Oratorii 11. Kal. Octobris 1699.

Humillimus, ac addictissimus servus
Joannes Marcianus Congreg. Oratorii.

Visa supradicta relatione imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmatica.

GASCON REG. ANDREAS REG.
ANDREASSI REG. GUERRERO R.
MERCADO REG.

Provisum per S. E. Neap. die 3. Novembris 1699.

Mastellonus.

Errata Corrige

Errata	Corrige
Pag. 3. Aph. 3. confiſterint	c. conſtiterint.
Pag. 10. Aph. 15 invafus	c. innatus.
Pag 12. Aph. 23. facili	c. facilè
Pag. 60. Ap. 22. inſipientibus	c. incipientibus.
Pag. 62. Aph. 28. biloſæ	c. bilioſæ.
Pag. 69. Aph. 47. nſive	c. ſive.
Pag. 80. Aph. 79. calcula	c. calculo.
Pag. 58.	c. 85.
P. 88. Ap. 16. effeminationē.	c. effæminationē.

LIBER

LIBER PRIMUS

APHORISMUS 1.

Vita brevis, Ars longa.

LOngā Artē, brevis hęc ſtudio quo Vita coer-
Sunt etiā Coo condita multa Seni. (quet?

Occaſio autem præceps, experimentum periculoſum.

Anſa fugit, ſi lenta Manus: qui neſcius Ægro
Tentamenta parat prima, pericla parat,

Judicium difficile.

Ambiguas morbum ire vias, ſimulare receſsū
Percipe: ne facili pollice plaude Sagax.

Nec solum se ipsum præstare oportet facientem; sed & Ægrotum, & Assistentes, & exteriora.

Nõ unus satis est Medicus, vel Apollinis hæres:
Cura sit & Patiens, qui jacet, ipse sibi.

APHORISMUS 2.

In perturbationibus ventris, & vomitibus spontaneis, si talia purgantur, qualia purgari oportet, confert, & leviter ferunt; sin minus, contra.

Injussi vomitus, ventremque fragosa procella
Si turbent, apto gramine ponet Hyems.

Sic & Vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant; sin minus, contra.

Naturæ deplere satis cava vasa juvabit:
Exhaurire nimis, tum nocet illa parum.

Inspicere itaque oportet & regimen, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conveniat, aut non.

Quę plaga, qui morbus, qualis perpēde sit ętas,
Sidera quæ, Boreas, an magis Auster hiet.

APH. 3.

APHORISMUS 3.

Habitus Athletarum, qui ad summum bonitatis attingunt periculosi, si in extremo consisterint; neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere; cum vero non quiescant, neque possunt proficere in melius, reliquum est igitur, ut decidant in deterius.

Deciduam timeas, altum sibi nacta vigorem,
Non stabit firmo in vertice summa Salus.

His de causis bonum habitum statim solvere expedit, ut corpus rursus nutriri incipiat.

Causa monet tumidas nimiū recludere venas,
Exonerare gravē pharmaca amara Sinum.
Mox victus meliora dabit, mage sana reponet,
Damnauit cumulos post ubi charta reos.

Neque compressiones ad extremum ducendæ periculosum enim; sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere convenit.

Si bibet extremas penetrabilis hastula guttas,
Mors facili sicco in gramine falce metet.

Sic & evacuationes, quæ ad extremum deducunt periculosæ, & rursus refectiones cum extremæ fuerint, periculosæ.

Egerere humorũ sunt quæ ultima Decũbẽtes,
Noxium:ab esurie par foret ingluvies.

APHOR. 4.

Victus tenuis, atque exquisitus in morbis quidem longis semper; in acutis vero, in quibus non convenit, periculosum.

Qui jacuere diu, pascat modico orbe patella;
Nec majore, suo, quos ferit ense, Malum.
Vulgaris, facilis, pigræ cibus obvius Arti
Dedecet hos: lectam porrige, Mẽsa, dapem.

Et rursus qui ad extremam devenit tenuitatem, gravis est; nam & repletiones, quæ ad extremas deveniunt graves sunt.

Qui fulcit tenuis, tenuissimus abiicit esus.
Et sua deducit funera sæpe fames.

APHORISMUS 5.

In tenui victu ægri delinquunt; quo fit ut magis lædantur; quicunque enim error committitur magnus, maior in hoc fit, quam in paulo pleniore victu.

Nausea ne primo vix carpere pollice cogat;
Damna minus timeo, si sit aperta Manus.

Propterea etiam sanis periculosus existit valde exquisitus victus, & constitutus; quoniam errores gravius ferunt: Ob hoc, igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus eo, qui sit paulo plenior, magis periculosus.

Sanus es? angusto ne contrahe prandia disco;
Tabescet siccus, bile fremente Color.

APHORISMUS 6.

Extremis morbis, extrema exquisita remedia optima sunt.

In pugna ne pone animos; graviora parentur
Tela malis, levibus ni posuere minas.

APHORIS. 7.

Vbi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenui victu utendum est. Vbi verò non, sed pleniorem victum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior.

Eheu! non acies soli est peracuta sagittæ.
Quin morbis etiam, qua ruit icta Salus.
En vomitus, & acuta sitis, tũ syncopis horror:
Quid tunc consilii? Stet quasi sicca fames.
Sin leviore Malum fodicavit acumine vitã,
Ad pondus pariter sit rata cæna suum.

APHORIS. 8.

Quando morbus in suo vigore perstiterit, tunc victu tenuissimo utendum est.

Dum furor incaluit Morbi, dũ perfidus urget,
Tristia quæ timeas, Mensula parca cavet.

APHORIS. 9.

Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare donec morbus consistat, & numquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel morbus antea deficiat, atque hebetescat.

Ars videat, jaculis num prævius ille retusis,
An prior Esurie languida Vita cadat.

APHORIS. 10.

Quibus igitur statim morbus consistit, his statim tenuis victus adhibendus est: quibus verò posterius debet consistere, his & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud cibus subtrahendus, prius verò uberius agendum, ut æger sufficiat.

Fervor ubi Hostilis non plus efferbuit, & stat,
Qua vigor accrescat, prompta sit esca levis.
Sin æstus sit tarda quies, patiatur & ignes,
Vel si jam farris Crustula tota rubet.
At si forte prior Morbi deferbuit ira;
Plenius instauret robora frugis adeps.

APHORIS. 11.

In accessionibus abstinere oportet; nam cibum dare, nocuum est; & quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

Febrilis quando rigor impetit, & calor urget,
Apta, sinu vacuo, scuta, paropsis erit.
Nec clypeū depone, Sagax, ubi cesserit Alter
Hostis: ad interitum fortior Alter hiat.

Aphor. 12.

APHORIS. 12.

Accessiones verò, & constitutiones, morbi judicabunt, & anni tempora, & circuituum successiva incrementa, sive quotidie, sive alternis diebus, sive per maiora intervalla fiant. Sed & ex his, quæ mox apparent, indicia sumuntur: quemadmodum in morbo laterali, si circa initium statim sputum appareat, morbum breviat, si verò postea appareat, producit. Et urinæ, & alui excrementa, & sudores, quæcumque apparuerint, vel bonam morborum judicationem, vel malam, vel breves, aut longos fore morbos ostendunt.

Prælia quæ, quando fuerint repetēda, docebūt
Et Crisis, & Lunæ tempora, & ipsa Febris.
Sępe dies Morbi, alternāt, ceu Carmina Musę:
Sæpe moras nectit dissonus ille Chorus.
Signa notāt: laterale Malū mox ponet acutū;
Si properum vomuit sputa cruenta lien.
Turpia ne fugito: patiantur fætida Nares.
Sedabunt stomachū, quæ docet aura gravis.

APHORIS. 13.

Senes facillimè jejunium ferunt: Secundo loco, qui ætatem consistentem habent; minus adolescentes, omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt vividiores.

Pene tacet Senii jejunus venter; Adulti
Vix hiat; in Pueris siccior usque latrat.
Ille idē juveni submurmurat; omnibus Ætas
Ut varia est, varios jussit inire modos.

APHOR. 14.

Qui crescunt plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento; alioquin corpus absumitur: senibus verò parum calidi innati est: parvis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguitur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus.

Arbustis qui sæpe venit crescentibus imber,
Dāda monet Soboli fercula multa Patrem.
Quę Canis lāx larga foret, Florētibus arcta est;
Candida nō servat, quas Coma flava, faces.
Nō timet ardores febriū, quē lustra gravarūt;
Ætnæas solum fax amat ima nives.

Aph.

APHOR. 15.

Ventres hyeme, & vere natura calidissimi sunt, & somni longissimi; quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Etenim tunc calor invasus plurimus est; unde & pluribus essent alimentis indicio sunt, ætates, & athletæ.

Auget Hyems Alui nativa incendia, Vernus
Mensis alit; pingui Tu quoque fruge juva.

APHOR. 16.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris & aliis, qui tali victu maximè consueverunt.

Febribus exuccos minuis quid plus dape sicca?
Quid plus & Pueros, lac quibus esca fuit?

APHOR. 17.

Et quibus semel aut bis, & quibus plura ne, an pauciora particulatim oporteat afferre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, ætati, & consuetudini.

Una vide cui mensa satis statuenda jacenti;
Tertia Ruricolis vix per aratra datur.
Ægrotum non usque levi substringe patella;
Mensibus, Ætati, non nihil adde Gulæ.

Aphor.

APHOR. 18.

Æstate, & Autumno cibos difficillimè ferunt, hyeme facillimè; secundum locum ver habet.

Sive Canis,seu Libra micet, quasi respuit Æ-
Mãdere: Ver facili dẽte terẽda dabit. (ger

APHOR. 19.

His, qui per circuitus accessionem habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante judicationes.

Frigida,acuta ciet quando sua prȩlia Morbus,
Iuratum ad fœdus jungeret arma Cibus:
Detrahe, quotquot Amor posuit Maternus,&
O'Demẽs Pietas! ò Inimicus Amor! (urget:

APHOR. 20.

Quæ judicantur, & judicata sunt integrè, neque movere, neque novare aliquid, sive medicamentis, sive aliter irritando, sed sinere.

Pacatis quid bella movent Humoribus atrã-
Scripta notã? quæ stant, stare quieta sin.
Frãgere ne tumidas cõtende Rebellibus ;ras;
Intempestivo crescit hic imbre focus.

Aphor,

APHOR. 21.

Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit per loca conferentia eò ducere.

Quos aperit Natura ſinus, purgantia deplent;
Sudor it? extendat pulvere Cervus iter.

APHOR. 22.

Concocta medicari, atque movere non cruda, nec in principiis, modo non turgeant: plurima verò non turgent.

Abſcrudis permitte morã: num Meſſor ariſtas
Subſtringit virides? Vinitor anne botros?
At ſi forte Mali tumor eminet aſper; acerbum
Cõprime præproperus; quæq; timẽda, cave.

APHOR. 23.

Deiectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deyciantur qualia conveniunt, & ægri facili tolerant, atque ubi uſque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, ſi æger poſſit tolerare.

Ne plaude, inſipiens, abſceſſibus enumeratis;
Non digitis, oculo, quæ bene jacta, probes.

APHOR. 24.

In acutis passionibus rarò, & in principiis medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum.

Rara, citata docent, vacuant quæ gramina: (Morbi
Si dẽtem exacuant, cos foret herba, frequẽs.

APHOR. 25.

Si qualia oportet purgari, purgentur; Confert, & facilè ferunt: Si contra, difficulter.

Doctrina renuente, tuum ne porrige rorem:
Quam malè potavit non sitibundus Ager!

Finis Libri Primi.

LIBER II.

APHORISMUS 1.

In quo morbo somnus laborem facit, mortale; si vero juvat, non mortale.

PRævius est letho somnus, si mēbra fatigat:
Qui blando mulcet rore, vocandus erit.

APHOR. 2.

Ubi somnus delirium sedat, bonum.

Comprimit emotæ placidus deliria Mentis,
Ut solet, a Stygio ni venit Amne, Sopor.

APHOR. 3.

Somnus, atque vigilia, utraque, si modum excesserint, malum.

Longa Quies, vigilata fuit vel Luna Jacenti;
Peioris, dubium est, ominis utra foret.

APHOR. 4.

Non satietas, non fames, neqne aliud quicquam, quod modum naturæ excesserit.

Dāna nimis protracta fames, saturatave ducit:
Heus, ne quid nimium, pagina cauta docet.

APHOR. 5.

Spontaneæ lassitudines morbos prænuntiant.

Sponte labant sublapsa solo vestigia? Vitæ
Res agitur: Claudo credite; Morbus adest.

APHOR. 6.

Quicumque dolentes parte aliqua corporis omninò dolorem non sentiunt, his mens ægrotat.

Dic Mētē invalidā, cui sūt quasi vellera dumi,
Ignitus pariter, cui velut unda, globus.

Aphor.

APHOR. 7.

Quæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet; quæ verò brevi, breviter.

Quæ Morbi lētē carpūt, lentē & ipse reponas;
Si cito deijciant, & cito fruge leva.

APHOR. 8.

Si à morbo cibum assumens non corroba-tur, pluri alimento corpus uti significatur; quod si non assumente cibum hoc accidat, scire oportet quod indiget evacuatione.

Plena fuit lanx nil solidans à febre recentes?
Nuda nec obfirmat? quæ removenda vide.

APHOR. 9.

Corpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere.

Duratos frustra tentas dare dura canales:
Tophus, arena pigro non sinit ire tubo.

APHOR. 10.

Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.

Eſca nocet, morboſa palus quibus inficit alvũ;
Lux ur i impurum ditat Amica lutum.

APHOR. 11.

Facilius eſt impleri potu, quam cibis.

Sicca moras, tardũq; trahũt ſubigẽda juvamẽ;
Deſide quam brevius dẽte, liquata dabunt!

APHOR. 12.

Quæ relinquuatur in morbis, recidivas facere conſueverunt.

Heu cineres ne ſperne Sagax; ubi flãma vide-
Deſediſſe; Mali detege, frange dolos. (tur

APHOR. 13.

Quibuſcumque criſis, id eſt judicatio fit, bis nox gravis ante acceſſionem. Quæ verò ſubſequitur magna ex parte levior exiſtit.

(malignum
Turbida Nox, male farta venit, ſymptoma
Si præit:at melior, ſi ſubit illa ſequax

APHOR. 14.

In profluviis alui, mutationes excrementorum juvant, nisi ad mala mutatio fiat.

Omina grata ferunt egesta superflua; Chilus
Si stetit, atque aluum tormina nulla liquāt.

APHOR. 15.

Vbi fauces ægrotant; aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet; nam si biliosæ fuerint, corpus una ægrotat. Si verò similes sanis, tutum est corpus nutrire.

Guttur ubi, tuberque jacit comitantia bilem:
Esurias; tortum forte cavebis iter.

APHOR. 16.

Vbi fames, laborandum non est.

Otia Pincernis, simul Otia præcipit Ollæ,
Dū Sitis una Malum curat, & una Fames.

Aphor.

APHOR. 17.

Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit; ostendit autem sanatio.

A nimio, pravoque time, Gula; dãna sequẽtur;
Qualia seu vomitus, spõte vel acta notant.

APHOR. 18.

Eorum quæ universim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones.

Vt festina coquit, medico sine gramine cribrat
Vis stomachi: vitam, Thapsia, vive tuam.

APHOR. 19.

Acutorum morborum non omninò sunt certæ prænunciationes, aut salutis, aut mortis.

Dum Febres mucrone petunt, an cõficit ictus,
Cui notum? dubia est alea; Caute, tace.

APHOR. 20.

Quibus juvenibus adhuc alvus humecta est, his senescentibus exiccatur. Quibus verò juvenibus adhuc alvus sicca est, his senescentibus humectatur.

Humescit Juveni, Senibus durabitur alvus,
Arida quæ cunctis, & mage stabit iners.

APHOR. 21.

Famem Thorexis, id est vini potio solvit.

Fœcundi calices heu qualia damna propinãt!
Nonne cibis inhiat Vita? inhiare vetant.

APHOR. 22.

Quicumque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio: & quicumque ex evacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.

Quid sociã, male Docte, tumẽtibus ingeris au-
Nulla pruina gelu, nõ perit igne rogus. (rã?

APHOR.

APHOR. 23.

Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur.

Ut quater,& decies Sol febri illuxit acutæ;
Funeris, aut Vitæ verior Angur eris.

APHOR. 24.

Septenorum quartus est index. alterius septimanæ octavus principium, est autem & undecimus contemplabilis. ipse enim quartus est alterius septimanæ. rursus verò & decimus septimus contemplabilis, ipse siquidem quartus est, à quartodecimo, septimus verò ab undecimo.

Quarta dies dicet quid septima præparet Æ-
Octavã & rogites Hebdomadę alterius(gris;
Nõ tibi,ut elinguis,decimę Lux addita Luci;
Inspicias, audi; nam subitura docet.

APHOR.

APHOR. 25.

Æstivæ quartanæ magna ex parte breves: autumnales, longæ, & maximè quæ hyemem attingunt.

Quæ fugit Æstivos celeris Quartana calores,
September lentis passibus ire jubet;
Heu time Hyperberei cōtermina lora Bootis;
Imperiosus eam non sinet ire Rigor.

APHOR. 26.

Febrem convulsioni supervenire melius est, quam febri convulsionem.

Quam malè se comitem jungit Convulsio Fe-
O si saltem Illi pergeret Ista sequax. (bri!

APHOR. 27.

His, qui non ex ratione leviùs se habent, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quæ præter rationem eveniunt. Plurima enim talia stabilia non sunt, neque multum durare, & permanere consuevere.

Non sperata quies fortasse dolosa putanda est:
Turbo brevi ponet, qui sine jure reflat.

APHOR.

APHOR. 28.

Febricitantium non omninò levitet permanere corpus, & nihil minui, vel etiã plus quam ratio postulat, contabescere, malum: hoc enim morbi longitudinem, hoc verò imbecillitatem significat.

Quę nihil extenuat, lõgos trahet hospita Mẽ-
Quę nimis, heu vires depopulata Febris! (ses,

APHOR. 29.

Cum morbi inchoant, si quid movemdum videtur, move; cum verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere.

Impiger arma para, Ratio si prælia dictat,
Cum Morbi prima perstrepuere Tuba,
Sin vigor hostilis jam tela intorsit, & urget;
Immotum Corpus stet, velut Umbo, tuum.

APHOR. 30.

Circa initia, & fines, omnia imbecilliora: cum verò consistunt, fortiora.

Ortus, & Occasus Morborum viribus obstant:
Nec Pueri fortes; nec valuere Senes.

APHOR.

APHOR. 31.

Ejus qui ex ęgritudine bene cibatur, nihil proficere corpus; malum.

Atrũ Omen; si cũ apta datur, fit inutilis esca:
Non bene convaluit, quem nihil illa iuvat.

APHORIS. 32.

Omnes ferè, qui male se habent circa initia bene cibati, nec quicquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt; qui verò circa initia cibum valdè non appetunt, postea bene appetentes, ij melius evadunt.

Cui nihilum prima illa favet, vel ritè parata,
Ipsi etiam seri displicuere cibi:
Si placuere, etiam post prælia prima malorũ,
Hic facilis sapida sorte pericla cavet.

APHOR. 33.

In quovis morbo mente constare, & bene se habere ad illa, quæ offeruntur, bonum: contra verò se habere, malum.

Ne casum timeas, cui firma cacumina Mẽtis;
Nec, bene si appositis nausea nulla fuit.

APHORISMUS 34.

In morbis minus periclitantur quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quam quibus secundum nihil istorum congruit.

Hostilem in speciem, jaculis & sæpe retusis
Bella mover, renuit perdere sæpe Malum.
Scit parcendũ Ævo, scit mollia tẽpora flagris
Danda suis: o si nulla cruenta daret.

APHOR. 35.

In quovis morbo partes ad umbilicum, & imum ventrem attinentes, crassitudinem habere, melius est; multum verò extenuari, ac contabescere, pravum. Sed & hoc quoque ad inferiores purgationes, periculosum.

Prævia dum Tabes maciat confinia ventris,
Hectica ne peior sit subitura, time.

APHOR. 36.

Qui ſalubritatem corporis habent per medicamenta evacuati, citò exolvuntur, & qui pravo utuntur cibo.

Quid ſtultê extorquẽt purgãtia pharmaca Sa-
(ni?
Fercula quid vocitant jure neganda Gulæ?
Quam citò tẽperiem Caſiæ corrũpet amaror!
Hoc etiam virus mandet inepta Fames?

APHORIS. 37.

Qui bene ſe habent corpore, difficulter ferunt medicationes.

Cui pravus nõ humor ineſt, ne ſcribe medelã:
Heu, male ſcripta bonũ mox violẽta trahet!

APHORIS. 38.

Parum deterior potus, aut cibus, ſuavior autem, melioribus quidem, ſed minus ſuavibus eſt præferendus.

Eſca mali ſuſpecta parum, ſi mellea venit.
Quin dubiã extrudat, cui nihil Hybla dedit.

APHORIS. 39.

Seniores juvenibus plurimum ægrotant minus. Qui verò morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte concomitantur ad mortem.

Ne nimiũ tibi plaude, Senex, te rarior Ægrũ
Si foveat, juvenes dum crebra lana vocat;
Heu calcata diu si duruit illa prementi!
Dura dabit; pheretro libera tradet onus.

APHORIS. 40.

Raucedines, & gravedines in valdè senibus coctionem non admittunt.

(Ætas,
Ut tuba, cui raucũm postrema immurmurat
Infausto hoc sonitu vincere fata negãt. (est;
Sãguis iners, riget ipsũ hepar, vis ignea nulla
Cruda, sub invalido frigore, cruda manent.

APHOR. 41.

Qui frequenter, ac fortiter, absque causa manifesta exolvuntur, de repente moriuntur.

Non expectatæ validus furor usque recurrens
Syncopis, heu subiti funeris, omen erit!

Aphor.

APHORIS. 42.

Solvere morbum, quem apoplexiam vocant, fortem, impossibile: debilem verò non facile.

Quicũq;es,seu doctus Arabs,seu Cous Apollo
Imparis hîc Artis dogmata vana tace.
Conclamata salus Ægris; ubi fulminis instar
Intentat nervis vulnera muta stupor.
Vel lenẽ abiectum, omnino non eriget Ullus:
Quãdo unquam tactus fulmine sanus erit?

APHOR. 43.

Strangulati, atque dissoluti, nondum mortui, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

Missile ad arbitriũ flamẽ Gẽs Graia vehebat;
O flaret Pectus sic, ut Ulissis Uter.
Interclusa egressũ Animæ parat Aura: saliva
Heu fluidum pariter, quod cita tranet, iter!

APHOR. 44.

Qui natura admodum crassi sunt, citius intereunt, quàm qui graciles.

Lenta trahit Pinguis vestigia, fila Sorores
Cui properãt: facili a Tabe putrescit adeps.

APHORIS. 45.

Quicumque juvenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum, quoque liberantur.

Quid loca, quid ve dapes immutas, Integer ęvi?
Lunarem hunc morbum sola juvẽta fugat.

APHORIS. 46.

Duobus doloribus simul eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.

Stabit uterque Dolor, parili si cædit eamdem
Partẽ ictu: alterutrum vincere Cæsus amet.

APHOR. 47.

Dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt. Magis, quam iam confecto.

Exacuit Febris quod Pus adolescit: amicas
Ad bella innectunt & mage sæva, Manus.

APH.

APHOR. 48.

In omni corporis motu ubi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert.

Motus Amor nimius lassescere cogit Euntem:
Cum primò est Corpus debile, Sella vocat.

APHORIS. 49.

Qui consueti solitos labores ferre, & si fuerint imbecilles, & senes, non consuetis fortibus, atque juvenibus faciliùs ferunt.

Pondera deijciunt validos ignota lacertos;
Non ita, quæ graciles sæpe tulere Senes.

APHOR. 50.

Quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sunt, insuetis minus molestare solent; oportet igitur ad insueta permutari.

Deterior licet esca frequens, jucunda sed ori,
Ne placeat semper, ne vetet usque bonam.

Aphor.

APHOR. 51.

Plurimum, atque repente evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, sive quovis alio modo corpus movere, periculosum; quoniam omne nimis est naturæ inimicum. Sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum cum ab altero ad alterum transitus fit.

Quæque repentinis, immanibus insuper ausis
  Afficiunt, secum magna pericla trahunt.
O' nunquã laudata satis Proverbia! pravũ est,
  Quod nimis opplevit, deoneratve nimis:
A summis præceps ne currito ad infima; casũ
  Præcaveas; lentos fige, refige gradus.
Opposita ò quanto lex separat intervallo!
  Contrahit hæc Annos semita, facta brevis.

Aphor.

APHOR. 52.

Omnia ſecundum rationem facienti, ſi non ſuccedat ſecundum rationem, non eſt tranſeundum ad aliud, ſtante eo, quod à principio viſum eſt.

Totam Artem ludente Malo, ſubſiſte; rebelli
Vim magis obſirmāt, quæ, ſine lege, novas.

APHORIS. 53.

Quicumque alvos humidas habent, ſiquidem juvenes fuerint, melius commutant his, qui ſiccas habent; ad ſenectam verò deterius commutant: nam ſeneſcentibus magna ex parte exiccantur.

Labilis immodicè Iuveni, ſeu tardior Alvus,
Corrigitur docilis, ſtare, vel ire mones.
Si fluat in Senio, ſecum funebria defert;
Arida pejor erit torpidiore mora.

APHOR. 54.

Magnitudo corporis juventæ quidem, neque indecens, neque illiberalis: Senectæ verò inutilis, & deterior parvitate.

Prævalidum Iuvenem grādis Statura deceret:
Par, Vetule, est pondus triste; quiesce brevi.

Finis Libri Secundi.

LIBER III.

APHORISMUS I.

Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.

Quæ se colliduut, discisso Iure vetusto,
Tempora, ceu Calybes, & male fida silex,
Quos æstus, quæ dāna cient: pro messe Coloni,
Pro Vita incolumi, Vota det Ordo Sacer.

APHOR. 2.

Naturarum, hæ quidem ad æstatem, hæ verò ad hyemem bene, malève se habent.

Sirius his, non Ursa favet: contraria pugnant
Vota Virum: Noctem hic, clamitat ille diē.

APHOR. 3.

Morbi quoque alij ad alia bene, vel malè ſe habent, & quædam ætates ad tempora, & loca, & victus genera.

Mitis ad illa, riget magis aſper ad illa Malorũ
Mos ſibi diſſimilis; diſpare Mente venit.
Quid carnes Puero, ſolidæ quid fercula menſæ
Porrigis, imprudens Sportula? redde nuces.

APHOR. 4.

In temporibus, quando eadem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

Una eademque dies ſi friget, & æſtuat; eheu!
September Morbis ſtramina quanta dabit!

APHOR. 5.

Auſtri auditum hebetantes caliginoſi, caput gravantes, pigri, diſſolventes, quando huiuſcemodi tempeſtas prævaluerit, talia in morbis patiuntur. at ſi aquilonia fuerit, tuſſes, fauces, alui duræ, difficultates urinæ, horrores, coſtarum dolores, & pectoris, quando hæc tempeſtas prævaluerit, talia in morbis expectare oportet.

Nũ Boreas, Notus an pejor dominatur in An-
Morborũ Iliadem ſpargit uterq; ſuam. (nũ?
Excutiet ſceptrum, veluti furiale flagellum;
Si potes, enumera quanta, quot atra jacit.

APHOR. 6.

Quando æſtas fit veri ſimilis, ſudores in febribus expectare oportet.

Ridet ubi lenis, Zephyriſq; tepentibus Æſtas;
Vix ſatis humenti ſunt tria lina febri.

APHOR. 7.

In ſiccitatibus febres acutæ fiunt, & ſi annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit conſtitutionem, tales plurimos morbos oportet expectare.

Durior exacuit febrilia Iuppiter Arma;
Nec facile obtundes, ni tener ille fluat.

APHOR. 8.

In conſtantibus temporibus, cum tempeſtivè tempeſtiva redduntur, morbi conſtantes, & boni judicii fiunt. In inconſtantibus autem, inconſtantes, & mali judicii.

Cum violant ſtabilita ſibi confinia Menſes;
Exlegem timeas Tu quoque jure Febrim.
Autumnus ſi poma neget, ſi gramen Apriles;
Spem pariter fallet, quæ rata meta Malis.

APHOR. 9.

Autumno morbi acutissimi, atque exitiales maxima ex parte. Ver verò saluberrimum, & minimè exitiale.

Qui præit Brumæ Mensis; dum dissipat Osor
Pampineas Viti, quas dedit Æthra comas,
Heu caput Humanũ pariter deturbat in Urnã,
Quod pupugit tristi cuspide acuta Febris?
Qui sequitur, melior funesta hęc fędera dãnat;
Quin monet hunc secũ mollê virere veprẽ.

APHOR. 10.

Autumnus Tabidis malus.

Cũ bene purpureos decores, Autũne, racemos;
Tabida pejori quid linis ora croco?

APHOR. II.

De temporibus, siquidem hyems sicca, & aquiloria fuerit, Ver verò pluviosum, & australe, necesse æstate febres acutas, & lippitudines, Græci ophtalmias vocant, & intestinorum difficultates fieri, præcipuè verò mulieribus, & viris, qui natura sunt humidiores.

Si Veri transmisit Hyems quos respuit imbres
Sicca gelu, exacuet Iulius arma Malis.
Nec satis hoc Miseris fuerit; Lippire, gravari
Humida præsertim Corpora torta ferent.

APHOR. 12.

Si verò hyems auſtralis, & pluvioſa, & ſerena fuerit, ver autem ſiccum, & aquilonium, mulieres, quibus partus ad ver ineſt, ex quacumque occaſione aborbiunt, quæ verò parient imbecilles, & morbidos infantes pariunt, quare vel ſtatim intereunt, vel tenues, & valetudinarii vivunt. cæteris verò difficultates inteſtinorum, lippitudines ſiccæ fiunt. Senioribus autem deſtillationes, quæ citò interiment.

Atratæ, Auſtrales pluviæ, variæque ſerena
Fronte Hyemes, ſiccos Vere trahente dies,
Nō Pueros, ſed mōſtra dabūt informia Matri;
Si Pueros; graciles tabe juvate, Nurus.
Tunc diſſenteria accedēt, tunc lapſa putredo;
Tunc Senio ad fauces funebris imber erit.

APHOR. 13.

Si verò æstas sicca fuerit, & aquilonia, Autumnus verò pluviosus, & Australis, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines, atque gravedines, quibusdam autem & tales.

Æstivos Menses gelidis siccantibus auris,
Dein Autumnales si maduere Dies, (git:
Vitta, Caput distringe, fuges si forte quod an-
Ah laqueos Tabes ridet iniqua tuos!

APHOR. 14.

Si verò aquilonius sit, & siccus his, qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet: reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & gravedines, nonnullis verò & atræ biles.

Humida Septembres extollite carmine siccos
Corpora; temperiem dat Boreale flabrum;
Execrare, Cui nativus, ut aridus, humor;
Et febrem, & bilẽ ad limina, Lippe, gemes.

APHOR. 15.

Ex anni autem constitutionibus, quod in totum dixerim, siccitates imbribus sunt salubriores, & minus mortiferæ.

Est Homini mage certa salus, si Juppiter ânis
Depluerit parcus, nec saturetur Ager.

APHOR. 16.

Morbi in pluviarum multitudine, magna ex parte fiunt febres longæ, alvi, profluvia, putredines, morbi comitiales, & attoniti, quos apoplexias Græci vocant, & anginæ. in Siccitatibus autem talitudines, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum.

Exores siccum, an pluviis superantibus annũ,
Ambiguus nuta: tristis uterque venit.
Malueris longas febres, alvique fluenta?
Attoniti Casus Corporis? iste feret:
Num potius lippũ tabescere, mingeee guttis,
Intremere & venas Hepatis? ille dabit.

APHOR. 17.

Quotidianæ autem constitutiones, aquiloniæ quidem corpora densant, contendunt, & bene mobilia, coloratiora, & melius audientia faciunt, & alvos exiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis obsederit, dolorem augent. Austrinæ dissoluunt corpora, & humectant, auditum, obtundunt, capita aggravant, & vertigines faciunt oculis, atque corporibus difficilè motum præstant, & alvos humectant.

Succumbit Boreæ hoc Æuum, dominantibus Euris
Succũbit; notat hęc quęlibet orta dies.
En ſiccas alvos, en pectoris angor adauctus,
En & ab Arctoo lumina pũcta Gelu.
Fauſta tamen Vitã, præſtat quod in æquore Navi
Pyxis, hyperborea hac cuſpide Bruma regit.
Vis ſtipata poros neſcit, torpore fugato
Mobilis: aurita tympana pelle ſonant.
Hæc Aquilonarem devoluere munera Currũ
Teſtatur melior, qui nitet ore, Color.
Invide nativas Auſter patiare cavernas:
Dãna quid obtrudam qualia, quanta jacis?

APHOR. 18.

Per tempora anni, vere quidem, & prima æstate pueri, & qui hos sequuntur ætate, optimè degunt, & sani sunt maximè. æstate verò, & autumno usque ad aliquid senes. reliquum & hyeme, qui mediam ætatem habent.

Plaude Puer Veri, simul impigra plaude Juvẽtus;
Et Vobis viridi robore stare dedit.
Solibus Æstivis, utcũque gravantibus Annis,
Plaude Senex; fulcrũ tunc tibi multa sinet.
Hybernis etiam subsultes, Integer Ævi;
Sic rigidam calcat nudus Arator Humum.

APHOR. 19.

Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibusdam ipsorum, & fiunt, & excitantur.

Nulla timet Morbus sibi tẽpora; fædus iniquũ
Nonnullis jungit, congeminatque minas.

Aphor.

APHOR. 20.

Vere etenim furores, & morbi comitiales, & profluvia sanguinis, & anginæ, & raucedines, & lepræ, & tusses, & impetigines, & vitiligines, & pustulæ ulcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum dolores.

Dic Aries, quæ clausa tuo mala copia Cornu?
Non ita Taurorum, quæ furit ira, nocet;
Luditur hæc facili, fuerit vel proxima, saltu;
Non tua sic; Cautos, vel procul acta, ferit.

APHOR. 21.

Æstate autem, nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres, & quartanæ, & vomitus, & alvi profluvia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & oris ulcerationes, genitalium putredines, & sudamina.

Cornua quod iaciunt, inflāmat Scorpius; addit
Rugitum ignivomū, est, cui iuba tota, faces.
Num steterint Vomitus? num turgida sistitur
Accedet mitis nū tepor inde Febri? (Aluus?
Incremēta Malis, veniūt nova Turba Malorū;
Fæda pudet Cantu pandere: lina tegant.

APHOR.

APHOR. 22.

Autumno verò, & plurimi vel æstivi morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, aquæ inter cutem, & tales, & stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum, & levitates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes, quas Græci astmata vocant, ilei, morbi comitiales, furores, atræbiles.

Vitis onusta, suis gaudent Septembribus Vuæ,
Morbida tunc quãdo Corpora triste gemũt;
Non totidẽ botros fert illa, quot ista dolores;
Musa etiam obruitur, si numerare velit.

APHOR. 23.

Hyeme verò morbi laterales, & pulmonis inflammationes, gravedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atque lumborum, capitis dolores vertigines, & applexiæ.

Quid melius jaceret duræ ĩnclemẽtia Brumę?
Hac feriente, Rubus, Robora & ipsa dolẽt.

APHOR.

APHOR. 24.

In ætatibus autem talia contingunt parvis, & nuper natis puerulis, oris ulcera, quæ aphthæ vocantur, vomitus, tuſſes, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

Inſultat Morbus cunctis Ætatibus audax;
Nec contra Cunas arma rotare pudet:
Dãna recens è Vẽtre nequit narrare Puellus;
Huic tamen immitis labra tenella ferit.

APHOR. 25.

In progreſſu verò, cum jam dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, convulſiones, alvi profluvia, & maximè cum caninos edunt dentes, & his præſertim pueris, qui craſſiſſimi ſunt, & alvos duras habent.

Quin ubi primævũ dẽtẽ, velut arma, miniſtrat
Septenus Menſis, tunc magis Ira furit;
Contorquet, febri excruciat, diſſolvit & alvũ;
Ulla nec à tenero vulnera dente timet.

Aph.

APHOR. 26.

Cum verò jam magis adoleverint, tonsillæ, & vertebræ, quæ in occipitio ad interiora luxationes, crebri anhelitus, quos Græci asthmata vocont, calculi, lumbrici, rotundi, ascarides, verrucæ, quas Græci acrocordonas vocant, satyriæ, strumæ, & alia tubercula, sed præcipuè ante dicta.

His non ille satur; pergit cruciare Juventam;
Sic patulas u[illegible] fusa pruina rosas.
Quot patitur nō I[illegible]la: quidē lacrymosa taceret;
Crebra sed ad pœnas asthmata verba negāt.

APHOR. 27.

Grandioribus autem, & jam accedentibus ad pubertatem, plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluvia sanguinis.

Pubescētis iter sequitur mage perfida Febris,
Heu fera! cum Nasus sanguinat, illa bibit.

APHOR. 28.

Plurimæ autem passiones pueruli judicatur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ verò in annis septem, quædam verò jam ad pubem accedentibus, quæ verò permanserint, nec in pubertate finierint, pueruli, aut fæminis, cum menstrua erumpunt, consenescere consueverunt.

Huic morbo in Pueris pro limite Quadragena
Lux veniens, illi Septimus Annus erit.
Est, Cui mens renuit lanuginis ire sequacem;
Ad Canos Alter fit malus usque Comes.

APHOR. 29.

Adolescentibus autem sanguinis sputiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alii, sed præcipuè antedicti.

Tabida larva, febres validæ, casusque repẽtes
Sunt quibus Ætatis florida lustra gemunt.
Infremit exputæ qui spargitur imbre salivæ;
At Juvenum ridet sputa cruenta Malum.

Aphor.

APHOR. 30.

Ultra hanc ætatem asthma, idest creber anhelitus, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, pleuritides, ardores, diuturna profluvia, coleræ, difficultates intestinorum, hæmorrhoides.

Ah quoties, Natura Viro dum robur adauget,
Involuit tristes invida Parca colos!
Morbosis immista trahit sua stamina nodis;
Quid frustra enumeras? solvere, Musa, ne-(quis.

APHOR. 31.

Senibus ſpirandi difficultates, diſtillationes cum tuſſe, urinæ ſtillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum paſſiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alvi oculorum, & narium humiditates, viſus obtuſus, glaucedines, auditus graves.

Canitiem Morbi fortaſſe verebitur Ira;
Scilicet annoſum quam magis illa gravat!
O utinam nocturna Quies onus omne levaret;
Heu querulos ſaltē nō vetet Aſthma modos!

Finis Libri Tertii.

LIBER IV.

APHORISMUS I.

Utero gerentes sunt medicandæ, si materia turget, quarto Mense, & usque ad septimum, sed has minus; Juniora autem, & Seniora vereri oportet.

Prægnanti, prudēs Doctor, nē præcipe chartis;
Octavo enituit si nova Luna sinu.
Sic cave, si nullus Miseræ malus eminet humor:
Ingere quæ Senior, quæque Puella feret.

APHOR. 2.

In medicationibus talia educere e corpore, qualia & sponte prodeuntia utilia; quæ vero contrario modo procedunt, cohibere oportet.

Extorquere nefas, Tibi quæ Natura negabit:
Ne citus eijcias, stare quod illa velit.

APHOR. 3.

Si qualia oportet purgari purgentur, confert, & leviter ferunt; contraria vero graviter.

(ci,
Hoc opus, hic labor; internoscere, Mente saga-
Quæ latitant, sint & qualia, quidque vehãt.

APHOR. 4.

Medicari Æstate Superiores magis; Hyeme vero inferiores.

Mensibus Æstivis cum extollitur infimus hu-
Tũc, quæ distillãt, ore vomẽda, trahe: (mor;
Sed juvat Hybernis, aversa fronte, gravamen
Deijcere: ô esset tunc tenebrosa dies.

APHORIS. 5.

Sub Cane, & ante Canem difficiles sunt medicationes.

Cum Canis ardores rabidis latratibus addit,
Sudor it; omittas pharmaca; terge cutem.

APHOR. 6.

Grandes, & facile vomentes purgare superius, caventes hyemem.

Succumbet Gracilis Casijs luctantibus impar;
Expuat; ad vomitus si grave guttur hiat.
Prævenias Brumam; glacialibus illa pruinis
Quæ labi velles, stare coacta jubet.

APHOR. 7.

Vomentes verò difficulter, & mediocriter bene carnosos per inferiora, caventes Æstatem.

Si tibi non facili pituita regurgitat ore,
Deturbes; calidis ni vetet Æthra flabris.

APHORIS. 8.

Tabidos vero caventes ad superiores purgare.

Tabida sed Macies vomitus evitet Obesis:
Cum bile, heu quoties, hi vomuere Animã!

Aphor.

APHOR. 9.

Melancholicos plenius inferiores eadem ratione contraria opponentes.

Vasa per ima, palus quæ desidet atra sub aluo,
De ducenda: viam sternere, Fortis erit.

APHOR. 10.

Medicari in valde acutis, si materia turget, eadem die; tardare enim in talibus, malum est.

Morbosus validum si jam Furor extulit ensẽ,
Vulnera prævenias proxima; frange minas.

APHORISMUS 11.

Quibus tormina, & circa umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamentis, neque aliter solvitur, in aquam intercutem siccam firmatur.

Cũ tumida excutiũt intercute tympana flu-(ctu
Hostiles Acies, heu fera bella parant!

APHOR.

APHORIS. 12.

Quorum alui inteſtinorum levitate laborant, hyberno tempore ſupra purgari, malum.

Hybernos vomitus prohibe, cui fercula chilũ
Cruda negãt; tenuem quin juvet eſca focũ.

APHOR. 13.

Ad elleboros, qui non facile purgantur, eorum corpora ante potionem pluri cibo, atque quiete humectanda ſunt.

Viribus Ellebori ſiccantibus, humida jura
Ebibe: dura venit lucta; quieſce diu.

APHORIS. 14.

Cum biberit quis elleborum, ad motiones quidem corporis ducere magis, ad ſomnos autem, atque quietem minus; indicat autem navigatio turbari motione corpus.

Otia Veratrum dabit an immota bibenti?
Hoc mare cũ tumuit, cymbula ſtare nequit.

APHOR. 15.

Cum volueris magis ducere elleborum, move corpus; cum vero sistere, somnum facito, & non moveto.

Umbra velut, Vigor Ellebori comitatur Eũtẽ;
Si cupias illum ponere, siste prior.

APHOR. 16.

Carnes sanas habentibus, Elleborus periculosus; facit enim convulsionem.

Subversâ Fatuum quidat consistere, Mente
Heu firmas Animas sæpe repente quatit!

APHOR. 17.

Si quis febrim non habens abstinet a cibo, & cordis motum, seu vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, purgatione indigere per superiora significat.

Febris abest? nutat vertex? ingrata fit esca?
Bilis adest; Sipho sorbeat; ora vomant.

APHOR.

APHOR. 18.

Supra præcordia dolores purgatione indigere per superiora significant; quicunque vero inferiora molestant, per inferiora.

(Eous:
Ne fuga in Occasum, qui prægravat Hostis
Qui membra oppugnant ima, per ima fuga.

APHORIS. 19.

Qui in medicamentis purgati non sitiunt, non quiescunt priusquam sitiant.

Inclama, Purgate, sitim; sopor eminus audit;
Accedet placidus, si vocet, imbre, Calix,

APHOR. 20.

Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum gravitas, & lumborum dolor, purgari inferius oportere significatur.

Nec genuũ gravitas, nec tormina dira recedēt,
Ni Sennæ succus, Tapsia ni det opem.

APHORIS. 21.

Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger sponte venientes, sive cum febre, sive sine febre, pessimæ, & quãto colores magis pravi fuerint plures, peius, cum medicamento vero melius; & quanto colores plures non pravi.

O' Erebo affinis Fæx detestanda! nigratam
Sedula nec Zeusis diluet ulla Manus.

APHORIS. 22.

Morbis quibuslibet incipientibus, si atrabilis vel supra, vel infra exierit, lethale.

Exitiale malum Certamina prima minãtur,
Funerei labari si nigra signa levent.

APHOR. 23.

Quibuscumque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, vel alio quovis modo extenuatis, nigra bilis, sive, uti sanguis niger de subter exierit, postridie moriuntur.

Quin si deijciant, pugnam ne cedere credas:
Est prope funereo Syrmate mæsta dies.

Aphor.

APHOR. 24.

Difficultas inteſtinorum ſi ab atra bile inceperit, lethalis eſt.

Poſt ubi tetra tuos reſeraverit Unda Canales;
Deijciet Vitæ Fons quoque & ipſe Caput.

APHOR. 25.

Sanguis quidem ſupra qualiſcunque fuerit, malus, infra autem bonus eſt.

Eſt Proceri ad votū, ſanguis cui tollitur altus;
Ut placeat Sanis, ima per imus eat.

APHOR. 26.

A difficultate inteſtinorum habito, ſi veluti carunculæ exeant, lethale eſt.

Exta cui turgent, gladii non utile acumen:
Meſſis adeſt Morti dedita; Falce metet.

APHOR. 27.

Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo quacunque ex parte cum reficiuntur, alui his humectantur.

Febre calēte, nisi & Vitā cum sāguine fundis;
Ut datus est ventri, sic cibus inde cadet.

APHOR. 28.

Quibus biliosæ deiectiones, superveniente surditate, cessant, & quibus surditas supervenientibus biliosis deiectionibus, cessat.

Occlusas Aures referat superaddita bilis:
Surdus es? illa fuit prævia? surdus eris.

APHOR. 29.

Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile judicium sequitur.

Sexta dies horrore quatit? nil prospicit Augur:
Est Medico tenebris obsita sexta Dies.

Aph.

APHOR. 30.

Quibuscunque accessiones fiunt quacunque hora febris dimiserit, si eadem hora occupaverit, judicium habent difficile.

Classica si pugnæ causas, pugnamq; sequacem
Insonuere? Ægris alea qualis erit?

APHOR. 31.

Lassitudinem habentibus in articulis, & circa maxillas potissimum, abscessus fiunt.

Articulis succurre, gravis quo voluitur Hostis;
Longius hunc Virtus pellere lassa nequit.

APHOR. 32.

Quibuscunque resurgentibus ex morbis si quid laboraverint, hic fiunt abscessus.

Non, velut Antheus, surgit sed debilis Æger;
Prævalet hinc, & Socios cogit ad arma Dolor.

APHOR. 27.

Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo quacunque ex parte cum reficiuntur, alui his humectantur.

Febre calēte, nisi & Vitā cum sāguine fundis;
Ut datus est ventri, sic cibus inde cadet.

APHOR. 28.

Quibus bilosæ deiectiones, superveniente surditate, cessant, & quibus surditas supervenientibus biliosis deiectionibus, cessat.

Occlusas Aures reserat superaddita bilis:
Surdus es? illa fuit prævia? surdus eris.

APHOR. 29.

Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile judicium sequitur.

Sexta dies horrore quatit? nil prospicit Augur:
Est Medico tenebris obsita sexta Dies.

Aph.

APHOR. 30.

Quibuſcunque acceſſiones fiunt quacunque hora febris dimiſerit, ſi eadem hora occupaverit, judicium habent difficile.

Claſſica ſi pugnæ cauſas, pugnamq; ſequacem
Inſonuere? Ægris alea qualis erit?

APHOR. 31.

Laſſitudinem habentibus in articulis, & circa maxillas potiſſimum, abſceſſus fiunt.

Articulis ſuccurre, gravis quo volvitur Hoſtis;
Longius hunc Virtus pellere laſſa nequit.

APHOR. 32.

Quibuſcunque reſurgentibus ex morbis ſi quid laboraverint, hic fiunt abſceſſus.

Non, velut Antheus, ſurgit ſed debilis Æger;
Prævalet hinc, & Socios cogit ad arma Dolor.

APHOR. 33.

Sed & si ante morbum aliqua parte doluerit, hic morbus firmatur.

Prævius hic vigilem noto si murmure Morbũ
Evocat, en secum figere castra monet.

APHOR. 34.

Si a febre habito, tumore non existente in faucibus, strangulatio repente supervenerit, lethale.

Funereos velut osa venit si Angina tumores,
Faucibus imponit Vafra; repente premit.

APHOR. 35.

Si a febre habito collum pervertitur, & vix potest devorare sine ullo tumore; lethale est.

Heu Febris imperiũ, miræq; Tyrannidis Ira!
Tortilis ut fauces sint sibi chorda, jubet.

APHOR. 36.

Sudores febricitanti si incæperint, bonum, & tertio die, & quinto & septimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, & septimo decimo, & vigesimo, & vigesimo septimo, & trigesimo quarto; hi enim sudores judicant morbos; qui vero non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidivam.

(morbo,
Humida Febre Cutis referat quoque limina
Ordine si certo, qui stetit humor, eat.

APHOR. 37.

Frigidi sudores cum acuta quidem febri, mortem; cum minori autem longitudinem morbi significant.

Algētes guttas, validus quas exprimit horror,
Proxima quis Stolidus bulla præire neget?
Debilior si foret ille, tuum ne dura coarctet
Lana torum: longo Mense jacere feras.

APHOR. 38.

Qua parte corporis sudor est, ibi significat morbum.

Niliacum non ora Caput septena, revelant
Unica, dum sudant, quæ sit Origo Mali.

APHORIS. 39.

Ex qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus.

Nũ vapor elatus, taceat num Flamma Caminos?
Detrusæ gelidus num Rigor antra Niuis?

APHOR. 40.

Et ubi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel color alter, ex altero fiat, longitudinem morbi significat.

Alternãt sua bella, Ægri, si Frigus, & Æstus;
Neutra brevi ponent arma; jacete diu.

APHOR.

APHOR. 41.

Sudor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta, corpus uti pluri cibo ſignificat. Si vero cibum non accipienti hoc accidet, ſcire oportet quod evacuatione indiget.

Si madet imbre Sopor, tibi nec ſit cognita Nubes,
Ingluviē accuſa; plena paropſis erat;
Sin levior, ſi parca fami, mala perfidus humor
Intus alit; virus, quæ fuget Herba, legas.

APHORIS. 42.

Sudor multus calidus, vel frigidus ſuperfluens, frigidus magis, calidus minus ſignificat morbum.

An calidus gelido melior ſudore, Cadaver,
Vel mutum edicit, frigida & ipſa Silex.

APHOR.

APHOR. 43.

Febres quæcunque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt magis periculosæ; quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.

Inrequieta trahunt sua si certamina Febres,
Tertius exacuet, eos velut, arma dies.

APHOR. 44.

Quibus febres longæ, his tubercula, vel labores in articulis fiunt.

Quod daret hospitii pretiũ malus Incola lõgi?
Tubera sũt Misero stips, Manuumq; dolor.

APHOR. 45.

Quibus tubercula, vel in articulis labores fiunt, hi pluribus utuntur cibis.

Largior in plena fuerit si Dextera Mensa,
Et Dextræ veniet, debita pœna, tremor.

APHOR. 46.

Si rigor incidat, febre non deficiente,
Ægro jam debili lethale est.

Heu firma cũ Febre Rigor quæ fædera nectit'
Debilis à gemina cuspide Vita cadet.

APHORIS. 47.

Excretiones in febribus non intermittentibus lividæ, cruentæ, fœtidæ, & biliosæ, omnes malæ, & si bene exeunt sivè per alvi excretioem, nsive per urinas, bonæ; si vero non aliquid eorum, quæ juvant, per hæc loca excernitur, malum.

Livida fæx, fætore gravis, suffusa cruore,
Truditur à Morbo, cui rata nulla quies?
En cõsãguineus Morti male prævius Humor
Sternit iter, putor nec vetat ire suus.

APHOR.

APHOR. 48.

In febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores uruntur, & sitim habeat, lethale est.

O malè fida fides nivibus servata! medullas
Fax cremat, ardores dum Cutis ipsa tegit.

APHOR. 49.

In febre non intermittente, si labrum, vel oculus, vel nasus, vel supercilium pervertatur, vel non videat, vel non audiat; jam debili existente corpore, quidquid horum evenerit, mors proxima est.

Præfica lamentis instat, cava tristè metalla
Insonuere: Ægris Organa quassa silent.

APHOR. 50.

Ubi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium accident; lethale.

Hostis adest; lõgo quin verbere tũdit Anhelũ;
Ultima vix patitur flamina; abire jubet.

Aphor.

APHOR. 51.

In febribus abſceſſus, qui ad primas judicationes non ſoluunt, longitudinem morbi ſignificant.

Protrahet in Menſes Vitã malus Elluõ Mor-(bus,
Si ſit adhuc alia ad pabula gratus adeps.

APHOR. 52.

Quicunque in febribus, vel in aliis morbis ſponte illacrymant, nihil abſurdum; qui vero non ſponte, abſurdius.

Quę venit ad nutum, non omina triſtia defert
Lacryma; ſed morbos, ire coacta, præit.

APHOR. 53.

Quibus circa dentes in febribus quidam lentores naſcuntur, his fortes fiunt febres.

Exacuet nocitura ſuos Febris invida dentes,
Polline ſi molli levigat illa tuos.

APHOR. 54.

Quibus plurimum siccæ tusses leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur.

Discutiat sicco si leniter impete Tussis,
Cui Febris ira calet, parcit amica Sitis.

APHORIS. 55.

Ex inguinum tumoribus, febres omnes malæ, præter diarias.

Sole cadente, iras si ponat Ephimera Febris,
Et tumidæ glandis mitior ictus erit.

APHOR. 56.

Febricitanti sudor superveniens, febre non deficiente; malum; prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem.

Febriles si forte putas sudore favillas
Extingui, heu tentas noxia! sudor alit.

APH.

APHOR. 57.

Qui à convulsione, aut distensione nervorum tenetur febre superveniente, liberatur.

Quis credat? quandoq; favent incẽdia Morbi;
Quod, cerebrũ, & nervos impetit, illa cremãt.

APHOR. 58.

A febre ardente habito, rigore superveniente solutio.

Pistori Cribator adest: quæ crassa gravabant
Attenuat Febris; cribat & illa Tremor.

APHOR. 59.

Tertiana exquisita septenis circuitibus, quod longissimum est, judicatur.

Æstuat alternis ubi Febris acuta diebus,
Vix prior Octavo decidet igne Cinis.

APHOR. 60.

Quibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis è naribus fluens, aut alvus turbata ſolvit morbum.

Surdaſtris è nare Cruor, Ventriſque tumultus
Obtundit, ſedat, quæ movet arma, Febris.

APHOR. 61.

Febricitantem, niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolet recidivare.

Impare nō poſuit quæ Febris luce, timēda eſt:
Non dum victa, iterum ſumere tela ſolet.

APHORIS. 62.

Quibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum.

Quid Regis, niſi flava clamys ſimulata decorē
Fingit huic Hoſti? ſub cute ſica latet.

Aphor.

APHORIS. 63.

Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febre solvuntur.

Dum quoties Natura gelu suffuderit igni,
Quid mirum, toties si Calor ipse riget?

APHOR. 64.

Quibus in febribus morbus regius septimo, vel nono, vel undecimo, vel quartodecimo supervenit, bonum; nisi dextrum ilium obdurverit, si vero non, non bonum.

Nũ Morbus faveat cognomine Regius Ægris?
Quin multa enervant, dũ male, mota, regit.

APHOR. 65.

In febribus circa ventriculum & fortis æstus, & cordis morsus, vel dolor; malus.

Dẽte ferox alvũ, magis & si corda momordit
Vis morbi, heu Vitæ quã male nutat Apex!

APHOR. 66.

In acutis febribus convulsiones, & circa viscera dolores fortes; malum.

Ah timeas casurę Animæ fastigia; fulcrum
Nõne Dolor validus, Viscera nõne quatit?

APHORIS. 67.

In febribus ex somnis timores, vel convulsiones; malum.

Tartareo Febris deduxit ab Amne sopores,
Cui male tuta repens concutit Ossa Pavor.

APHOR. 68.

In febribus spiritus offendens; malum convulsionem enim significat.

Omen triste sonant suspiria; Spiritus illis
Nam Febris imperio cogitur ire comes.

APHOR. 69.

Quibus urinæ crassæ, grumosæ, paucæ non sine febre multitudo veniens, & his tenuis juvat: præcipue vero tales veniunt, quibus ab initio, vel brevi sedimen inest.

Cōsule Vitra, solēt nō quæ geminare Vidētē;
Discere ne pudeat, præcipienda, Senem.

APHOR. 70.

Quibus urinæ perturbatæ, quales sunt jumentorum, his dolor capitis vel adest, vel aderit.

Turbidus iste Vapor cerebrum ni cuspide (pungit,
Plaude parum: vittas arripe; vulnus erit.

APHORIS. 71.

Quibus septima judicatur, his nubeculam habet quarta die urina rubram, & alia ex ratione.

Si nebulam monstrāt crystallina Vasa cruētā;
Quarta dies, vide, & septima qualis adest.

APHOR. 72.

Quibus urinæ albæ, & perspicuæ, malæ; præsertim si in delirantibus appareant.

Perspicuam lauda Ideis è fontibus undam;
Non tamen Humano, quæ venit alba, sinu.

APHORIS. 73.

Quibus ilia suspensa murmurant, lumborum dolore superveniente, his alvi humectantur, nisi flatus erumpant, aut urinæ multitudo proveniat: hæc vero in febribus!

Ut latera intonuere, febris dũ fulgurat æstus,
Addita quę veniẽt Flamina, Nimbus, Aquę?

Aphor.

APHOR. 74.

Quibus speratur abscessum futurum ad articulos, liberat ab abscessu urinæ multa crassa, & alba facta; qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam incipit fieri; si vero etiam ex naribus fluxerit sanguis, brevi admodum solutio fit.

Deciduos absterge, Manus, si grata, cruores;
Hoc Nares pretio, quæ tibi damna, cavent.

APHORIS. 75.

Si sanguinem, aut pus mingat; aut renum, aut vesicæ ulcerationem significat.

Occultos Morbi gladios quali arte retundes?
En cava sanguineo è vulnere Vitra rubent.

APHOR. 76.

Quibus in urina crassa existente carunculæ parvæ, aut veluti capilli una exeũt, his à renibus excernitur.

O' miræ Virtutis Opus! Natura totondit,
Quæ malè fœcundis renibus Ossa pilant.

Aphor.

APHOR. 77.

Quibus in urina crassa surfurea quædam simul exeunt, his vesica scabie laborat.

Quæ penitas radet tã docta novacula sordes?
Mollitas forsan labilis unda vehet.

APHOR. 78.

Quicunque sponte sanguinem mingunt, his à renibus venulam ruptam significatur.

Obstrue, si valeas, discissa foramina venis:
Non hæc Artificis condita plaga fuit.

APHOR. 79.

Quibus in urinis arenosa subsistunt, his vesica laborat calcula.

Evellat Nursina Manus quod arena notavit:
O saltem gemmam vulnera acerba darent.

Aphor.

APHOR. 80.

Si sanguinem mingat, aut grumos, vel stillicidium urinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & semen, circa vesicam labor est.

Tot mala ne siccis oculis percurre, nec excors;
Quin prece, quin tenui pelle timenda dape.

APHOR. 81.

Si sanguinem, aut pus minxerit, aut Squammulas, & gravis odor adsit, vesicæ ulcerationem significat.

Qui gladii vulnus, morbi simul ingemit ulcus
Æger, utrum gravius, nescit; utrumq; ferat.

APHOR. 82.

Quibus in urinaria fistula tubercula nascuntur, his supporatione facta, & eruptione, solutio.

Rusticus emendat, si quid sua fistula peccet:
Ah, Chirurge, tua ne minus arte juves.

APHOR. 83.

Mictio noctu facta plurima parvam significat dejectionem.

Si cadat Una gravis, dispar lanx altera surgit:
Unus iners tibi Fons? labilis Alter erit.

Finis Libri Quarti.

LIBER V.

APHORISMUS 1.

Convulsio ex ellebero lethalis est.

(sub undis
COnde Caput pelago, mala femina conde
Anticyra: heu quali cuspide nata petēt!

APHOR. 2.

Convulsio ex vulnere lethalis est.

Si tātū nocet herba levis, quid tela, quid ensis
Intulerint? quasso corpore, Vita ruet.

APHOR. 3.

Ubi sanguinis plurimum fluxerit, singultus, aut convulsio superveniens, malum.

Cōprime, si valeas, Animā, cū sanguis anhelā
Labilis, & trepidam sub nigra Vasa trahit.

Aphor.

APHOR. 4.

Ex superflua purgatione convulsio, aut singultus superveniens, malum.

(sus,
Robora, Pinus, Acer decũbit & alta Cupres-
Post ubi defossus fulcra negnavit Ager:
Heu Medicis nimiũ subversa ligonibus exta!
Haud potis, amoto hoc aggere, stare Salus.

APHOR. 5.

Si ebrius quispiam repente obmutuerit, convulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut ubi ad horam pervenerit, qua solvuntur crapulæ, vocem recuperet.

Uvidus ingesto malè fit Verbosus Jacco;
Sed mutum ut faciunt pocula, pejor erit;
(banti;
Faustus ades, modò Amice Calor, succurre la-
Jam iam præproperus deiicit Ossa Rigor.

Aphor.

APHOR. 6.

Quicunque à distentione campiuntur in quatuor diebus pereunt; si vero has effugerint, sani fiunt.

Quem, quasi marmoreũ, mõstrat Lux quinta (jacentem,
Substernet lapidi mors mala Fabra suo.

APHOR. 7.

Quibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt; quibuscunque autem vigesimo quinto, moriuntur.

Surge Puer dejecte; Malum, ceu Iudicer Ævũ
Luctator stravit debile: surge Puer.
Non tecum iocus iste, cui prolixior Annus;
Seria res: Fortem Fortius interimet.

APHOR. 8.

Quicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, hi ad suppurationem vertuntur.

Heu Socius dispar Laterõnibus hic Lateralis!
Expueris saniem, si via longa fuit.

APHOR. 12.

Quibuscunque tabe laborantibus capilli a capite defluunt, his alui profluvio superveniente, moriuntur.

Expilat,evacuat Miseros ubi tabidus Angor,
Heu duplex Animæ jam reseratur iter!

APHOR. 13.

Quicunque spumosum sanguinem expuunt, his e pulmone eductio fit.

Sanguineo latici cum spumæ efferbuit æstus,
Quid mirum?iratus verbere Pulmo tumet.

APHOR. 14.

A tabe habita profluvium ventris superveniens, lethale.

Hinc maciat Tabes,liquat inde profusior Alvus:
Qui vigor ad Vitæ fulcra superstes erit?

APHOR. 15.

Quicunque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur a die, a qua fit ruptio, liberantur; si vero non, ad tabem transeunt.

Quæ mala fert sanies prolixior hospita Renũ,
Tabidus enarret, qui notat ora, Color.

APHOR. 16.

Calidum, ubi quis sæpius eo utatur, hæc mala affert: carnium effeminationem, nervorum incontinentiam mentis torporem, profluvia sanguinis, animi defectionem, hæc ad quæ Mors.

Utere proloquio cautê, si frigus, ad ignem;
Namq; Amor impatiẽs frigoris, Hostis erit:
Dissimulata quot heu veniẽt dispendia Vitæ!
Torpida Mẽs; Nervus mollis, ut ũda cruor.
(Amomum;
Mentha quidem Stomacho, simul & succurrit
Aucta nocent; urit largius exta Piper.

APHOR.

APHOR. 17.

Frigidum autem convulsiones, distensiones, livores, rigores febriles.

Nūquid habet melius, nimiū qui mēbra refrixit?
Excutitur, livet, stat trabis instar, iners.

APHOR. 18.

Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullæ; calidum vero utile.

Integra Hyperboreis servata cadavera flabris
Novimus: at Vivis illa quot atra vomunt!

APHOR. 19.

Quæcunque refrigerata sunt, calefacere oportet; exceptis iis, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

Frigidulis calido succurrere juvit amomo;
Sed cave, si tepidus cæpit abire cruor.

APHORIS. 20.

Ulceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insuperabilem facit, livorem obducit, rigores febriles, convulsiones distensiones.

Mitior ulceribus Canis est: medicamine leni
Lingua fovet; Boreas asperat, ungue petit.

APHOR. 21.

Est autem ubi in distentione sine ulceratione Juvene bene carnoso æstate media frigidæ aquæ multa perfusio; calorem revocat: calor autem hæc solvit.

Æstus adest? Juvenis diffuso Fonte madescat.
Molliet accitus, quæ riguere, Calor.

APHORIS. 22.

Calidum ſuppuratorium non in omni ulcere magnum ad ſecuritatem judicium; cutem mollit, extenuat, dolorem ſedat, rigores, convulſiones, & diſtenſiones mitigat; & ex his quæ ad caput attinent, ejus ſolvit gravitatem: plurimum autem confert oſſium fracturis, ſed nudis præcipue, eorumque maxime, qui in capite ulcera habent, & quæcunque a frigore moriuntur, vel ulcerantur, & repentibus comeſis, ſedi, pudēdis, utero, veſicæ, his calidum amicum, & judicans; frigidum inimicum, & perimens.

Da lene ulceribus, calidū da plaſma: malignus,
Putredo hæc, Hoſtis non niſi lene cadit.
Juverit, & multum, cui ab ictibus oſſa fatiſcūt,
Qui riget, & vertex cui grave nutat onus.
Quin alia Ægrotis accedent cōmoda Mēbris;
Qualia ſint iſthæc, me reticente, legas.

APHOR. 23.

In his frigido utendum, unde fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa, sed circa ipsa, unde fluit; & quæcunque inflammationes, vel inflammata ad rubrum; & subcruentum sanguine recenti tendunt; nam veteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non ulceratum juvat, nam ulceratum lædit.

O'ubi frigidulò pollentia gramina succo?
Sanguis it, affines obstrue fronde fores.
Sub cute sãguineus latitãs se prodidit Humor?
Illa favet, ventri ni fit ab igne color.

APHOR. 24.

Frigida, qualis nix, & glacies, pectori inimica, tusses movent, & sanguinem, & distillationes.

Quid diris oneras? carpis quid carmine Tus-
Algida qui glutis liba? vocata venit. (sim

Aphor.

APHOR. 25.

Tumores articulorum, atque dolores absque ulcere, & podagricos quoque, atque convulsa, horum plurima frigida aqua largè effusa levat, & extenuat, solvitque dolorem; nam modicus torpor dolorem solvit.

Non sitis una lacus gelidos, Dolor Articularis
Expetit: o torpor quam bonus inde fluit!

APHOR. 26.

Aqua, quæ citò calet, & citò refrigeratur, levissima est.

Quam levis est Animus facile in cōtraria pronus!
Cui par ingeniū, nō erit Unda gravis.

APHOR. 27.

Qui noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus, si superdormierint, bonum.

Fausta venit nocturna Sitis, si fontibus haustis
Non torpor, placido sed pede Somnus adest.

APHOR.

APHOR. 28.

Suffitus aromatum muliebria ducit; sæpius ad alia utilis est, nisi capitis faceret gravamen.

Non Nuribus, det grata Viro donaria, moscũ,
Quæq; sua ostentat balsama odorus Arabs.

APHOR. 29.

Mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale est.

O'feritas Morbi! teneris ubi parcere Mẽbris
Tempus erat, bina cæde fit Urna Parens.

APHOR. 30.

Mulier utero gerens, sanguine misso ex vena, abortit; & magis, si fœtus est major.

Ne calybes Chirurge acuas Prægnãtibus; Unũ
Nõne tenes Vulnus sæpe ferire duos? (hoc

Aphor.

APHOR. 31.

Mulieri sanguinem evomenti, mensibus erumpentibus, solutio.

Occludet fluido fauces Natura cruori,
Deijciant aliæ si vada mista Viæ.

APHOR. 32.

Menstruis deficientibus, sanguis e naribus fluens, bonum.

Edocet & Siccas humescere Nare cruenta
Illa eadem, & similes miscet Amica lacus.

APHOR. 33.

Mulieri Utero gerenti, si aluus plurimum profluat, periculum est, ne abortiat.

Prægnanti nimium laxatis postibus Alui,
Heu Tibi quæ timeo proxima Fata, Puer!

APHOR. 34.

Mulier, quæ uterinis molestatur, aut difficulter parit, superveniens sternutatio, bonum.

Quæ Caput ejectis, Uterũ quoq; grata levabũt
Sternutamenta: Eheu grave Matris onus!

APHORIS. 35.

Mulieri Menses decolores, nec secundum idem tempus semper venientes, purgationem indicant necessariam.

Decolor haud servãs Lunas erraticus Humor,
Servabit tinctus, si vacuanda notes.

APHOR. 36.

Mulieri utero gerenti, si mammæ graciles repente fiant, abortit.

Pravũ omen gracilis, tũ sicca papilla: Puellũ
Funera præveniunt. tristis abortus erit.

Aphor.

APHOR. 37.

Si Mulier, quæ neque gravida est, neque peperit lac habet, huic menstrua defuerunt.

Intempestivi lac Uberis, ordine verso,
Cogitur haud, cogit mollia, & ire vetat.

APHOR. 38.

Quibuscunque Mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

Heu! fuge, Pupe, rubro madidas humbre papillas.
Noxius adveniet, Matre furēte, latex.
Detur Amazonicas efferuere sãguine Mãmas,
Martia, pro Pueris, sunt quibus Arma, suis.

APHORIS. 39.

Si velis noscere an conceperit Mulier cum dormitura est, aquam ei mulsam potandam da, & si alui tormina patietur, concepit; sin minus, non concepit.

Infremuit mulsa Venter? Natura Puello
Mella datura dein, lactea dona parat.

APHOR. 40.

Mulier si Marem concepit, benè colorata est, si fœminam, malè colorata.

(ter:
Decolor Ora, tumet male grato pondere Ma-
Mas veniet, lætus nunciat ecce Color.

APHORIS. 41.

Si Mulieri gravidæ in Utero sit Erysipela, lethale.

Fœtibus occludit tumidus si limina Morbus,
Heu Matri pariter viva neganda Dies!

APHOR. 42.

Quæcunque præter naturam tenues utero gerunt secundo Mense abortiunt, prius quam crassescant.

(stris
Dũ malè stat gracilis Prægnãtum Vita; bime-
Nõ erit, occiduus, cui data & Urna, Puer.

APHOR. 43.

Quæcunque mediocriter corpora habentes obortiunt ſecundo, aut tertio menſe ſine occaſione manifeſta, iis acetabula Uteri plena mucoris ſunt, & non poſſunt ex pondere fæturam continere, ſed diſrumpuntur.

Eſt Uteri pondus pegratum, in triſte Cadaver
Ni Fata immutẽt, ruptaq; Clauſtra vomãt.

APHOR. 44.

Quæcunque præter naturam craſſæ non concipiunt, utero iis omentum os uteri comprimit, & priuſquam extenuatæ fuerint, non concipiunt.

Pinque Caput, ſterile expungit, damnatq; Mi-(nerva,
Lucina aſſimiles reſpuit Oſa Nurus.

APHOR. 45.

Si Uterus in coxam vergens ad suppurationem veniat, necesse est semmoton fieri.

Ulcera quis curet penitus deflexa? specillum
Forte juvat; forsan tortile pandet iter.

APHOR. 46.

Fætus mares quidam in dextris fœminæ vero in sinistris magis.

Decũbens Dexter feret Ortu gaudia Fætus:
Patria delusit Vota? Sinister erat.

APHOR. 47.

Ut secundæ procidant, Sternutatorio apposito, Nares apprehendito, & os.

Alvo pigra, fluet Mulier, si gramine jusso
Sternuet; emunctæ Naris & Illa foret.

APHOR. 48.

Mulieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam, quam maximam ad mammas appone.

Incutias tumidæ tua vitrea tympana Mãmę;
Bellica ad hæc Uterus signa timenda riget.

APHOR. 49.

Qui Utero gerunt, his Uteri Os comprimitur.

Perfectum quò formet opus Natura, recondit:
Ore velut clauso Testula liba parat.

APHOR. 50.

Mulieri utero gerenti, si lac multum è mãmis effluat, fœtum imbecillem significat; si vero solidæ fuerint mammæ, fœtum significat saniorem.

Claude, Papilla, feras; sanus num displicet Infans?
Lactea quid frustra perdere dona juvat?

APHOR. 51.

Quæ corrupturæ sunt fætus, ijs mammæ extenuantur, si vero rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrumpunt.

Fæturam exturbant arentibus Ubera rugis;
Durari hæc optes, & doluisse Nurum.

APHOR. 52.

Quibus os Uteri durum est, ijs os uteri comprimi necesse est.

Obdurata sinus Mulier Genus haud feret ul-
Mollior, ad messes aptus, aratur Ager (lũ;

APHOR. 53.

Quæcunque Utero gerentes a febribus corripiuntur, & valde calefiunt sine occasione manifesta difficulter pariunt, & cum periculo; aut abortum facientes periclitantur.

A' Febri timeas validum Prægnantibus ignẽ;
Quando unquam innocuas claustra tulere (faces?

APHOR. 54.

A fluxu Muliebri si convulsio & animi defectus advenerit, malum.

It sanguis? nutat Vertex? convulsio torquet?
En triplex Omen triste: futura time.

APHOR. 55.

Si menstrua plura sunt, accidunt morbi; & si non fiant, ex utero morbi contingunt.

Si laticis nimium eructāt hæc Antra, nocebūt:
Plus nimiò sistunt arida? Morbus erat.

APHOR. 56.

Recto intestino, aut utero inflammationem patiente, urinæ stillicidium supervenit, & renibus purulentis, urinæ advenit stillicidium; iecore inflammationem patiente, singultus advenit.

Dū rupes cæco igne calent, gratissimus humor
Extillat, medicis atque saluber aquis.
Sed jecur, atq; aluū male coxerat ille latēter:
It pus gustatim, Vox & anhela sonat.

Aphor.

APHOR. 57.

Si Mulier non concepit, ſcire autem velis an conceptura ſit, pannis circumtectam de ſubter ſuffias; & ſi odor videatur per corpus ire ad nares, & os, ſcito quod non ex ſe ipſa ſterilis eſt.

Imus ut ad Nares ſuffitus ſurgit odorus,
Infæcunda Nurus dicere Clauſtra vetat.

APHOR. 58.

Si Mulieri utero gerenti purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum.

Dũ præceps alimẽta cruor devoluit, & arcet;
Jejunis poterit Fœtibus eſſe vigor?

APHORIS. 59.

Si Mulieri ceſſent purgationes, neque horror, neque febris ſuperveniat, & faſtidia iucidant, judica ipſam in utero habere.

Qualia ſubvoluit, Sapiens Natura renarret
Conſilia, ad partum poſt ubi dona dedit.
Faſtidire jubet, ſubſiſtere purgamenta,
Arceri Febres: diſſita faſce ligat.

APH.

APHOR. 60.

Quæcunque frigidos, & spissos uteros habent, non concipiant, & quæcunque præhumidos uteros habent, non concipiunt extinguitur enim in eis genitura: & quæcunque siccos magis & adurentes; nã ex defectu alimenti corrumpitur semen; quæcunque vero ex utrisque mediocrem habent temperaturam, hæ fæcundæ sunt.

Temperies fæcũdat Agros, fæcundat & Aluũ;
Ni fuerit; vacua est Area, Mamma riget.

APHORIS. 61.

Lac dare caput dolentibus, malum; malum vero & febricitantibus, & quibus hypocondria suspensa murmurant, & siticulosis; malum etiam & quibus in febribus acutis biliosæ sunt dejectiones, & quibus sanguinis multa dejectio facta est.

Ad mulctrã ne coge pecus, Vitulam ve: dolẽtẽ
Non alit, enervat lac, nova damna vehit.
Febrim alit, & validat, velut addita cera caminis;
Quin strepitus auget, si crepuere Sinus.
Pocula non illud sitientibus apta propinat,
Non quibus egeritur, fæx ut adacta, cruor.

Aphor.

Convenit autem & tabidis dare, qui non valde multum febricitant; & in febribus longis, & parvis, si nullum ex supradictis signis affuerit, & præter rationem consumptis.

Huc, huc, Opilio; faveant mulctralia Tabi:
Est longa, est Febris parvula; forte juvas.

APHOR. 62.

Quibus tumores in ulceribus apparent, non convelluntur valde, neque insaniunt: verum his evanescentibus, de repente quibusdam a tergo convulsiones, & distensiones fiunt; quibusdam ante insaniam, vel lateris dolor acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sint rubicundi.

Siste, Tumor rubicunde, incõmoda multa repelles;
Ulcera si vites; heu numerata gravant!

Aphor.

APHORIS. 63.

Si in vehementibus vulneribus, & pravis, tumor non appareat, malum.

Abditus hic Hostis post grãdia vulnera, pejus
Quid voluit tacitus: funera, crede, coquit.

APHOR. 64.

Molles boni, crudi vero, mali.

Mollia lenè fovent, durissima triste minantur
Tubera: durata Quis bene Fronte petit?

APHOR 65.

Dolenti partem capitis posteriorem, in fronte recta vena incisa prodest.

Occiput infensis dum Morbi angoribus urgẽt,
Mira tene: averso Vena cruore, favet.

Aphor.

APHOR. 66.

Rigores incipiunt Mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput; sed & Viris parte posteriore magis, quam anteriore, veluti femorum cubiti; sed & cutis rara; indicio autem est pilus.

Cui Vita è lumbis quondam gratissima venit,
E lumbis etiam quæ male grata ferat.
Nō equidē, qua parte Virum calor insitus ar-
Oppugnare audet frigidus ille Rigor. (mat,

APHORIS. 67.

A quartanis capti non admodum a convulsionibus capiuntur; si vero prius capiantur, & quartana supervenit, liberantur.

Ne gemito, insultū pateris si forte quaternū;
Pejores motus, vel malus, ille fugat.

Aphor.

APHOR. 68.

Quibus cutes circumducuntur aridæ, & ſiccæ ſine ſudore, moriuntur: quibus vero laxæ,& raræ cum ſudore, moriuntur.

Seu madidã tergas,dũ laxa humeſcit,& alget,
Seu ſiccam extendas,fit grave ſyrma,Cutis

APHOR. 69.

Qui regio morbo laborant, non multum ventosi sunt.

Rex hic Humanas, Dominator ut Æolus, au-
Innectit: patitor, si quid & Ille nocet. (ras

Finis Libri V.

LIBER VI.

APHORISMUS 1.

In longis levitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, bonum signum.

Cum juvet, est dulcis, libes si Mente Sapores;
Sit Tibi, si assurgunt Viscera, dulcis Acor.

APHORIS. 2.

Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur; quibus vero contraria, salubrius degunt.

Hæc gemina optarê non larga canalia: Mucor
Viribus it modicis debilis usque Comes.

APHOR. 3.

In longis difficultatibus intestinorum, inediæ ex fastidio, malum, & cum febre, pejus.

Exta cruenta, cibi fastidia, febre sequaci
Signa forent lethi prodroma: crede notis.

APHOR. 4.

Vulnera circum glabra prava sunt.

Desquamata cutis, tum depilis ulcera circum
Tristê pręit: rhombum dant ita cultra focis.

APHOR. 5.

Dolores, qui sunt in lateribus, & pectoribus, atque aliis partibus, si multum differant, perdiscendum.

Exposcas, nam vera Dolor noscenda, revelat:
Mordicat. an terebret, lenius anne petit?

APHOR.

APHOR. 6.

Renum, & vesicæ vitia in senibus difficulter sanantur.

Annosi lateris vitio quæ fulcra medentur?
Fluxam undã senior quis bene servet uter?

APHOR. 7.

Dolores ventris sublimes leviores, qui vero non sublimes, fortiores.

(adhæret
Summæ Aluo Dolor oppugnãs, malus Hostis
Ast heu pervadens Viscera peior erit!

APHOR. 8.

Aqua inter cutem laborantibus, ulcera in corpore facta difficulter sanantur.

(Humor.
Disce sitire, Hydrops, cui & ulcera detulit
Forsitan effugiet Morbus uterque sitim.

APHOR. 9.

Latæ pustulæ non admodum pruriunt.

Non punctim, præstat potius lato ense feriri:
Prurire o quantum Pustula acuta jubet!

APHOR. 10.

Caput dolenti, & circumdolenti pus, vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures morbum solvit.

(Nares,
Deflue, qui Caput obtundis Dolor improbe;
Ora patent; Sanguis, Pus, facit Vnda viam.

APHOR. 11.

A bile vexatis, & renum passionibus, hæmorroides supervenientes, bonum.

Inversum meditetur iter si teter hic Humor;
Tramite postico, vel male factor, eat.

APHOR.

APHOR. 12.

A diuturnis ſanati hæmorroidibus, ſi una non ſervatur, periculum eſt aquam intercutem, vel tabem advenire.

Imbre ſuperfuſo, dum cõflagrat ignibus Aula:
Quæ ſint neglecto a Torre timenda, vide.

APHOR. 13.

A ſingultu habito ſternutatio ſuperveniens liberat.

Ira quatit Vindex, largum ſi deneget Auræ
Pectus iter: Nares, ut crepuere, juvant.

APHOR. 14.

Ab aqua inter cutem habito, ſi aqua e venis in ventrem defluxerit, ſolvitur morbus.

Cede loco, non Vena, Latex, tibi tradita Sedes:
Alveo par fuerit ſtare Fluenta ſuo.

Aphor.

APHOR. 15.

A longo Alui profluvio habito, spontaneus vomitus superveniens morbum solvit.

Atrum Omẽ, Vomitus, qui dãt ructare coacti;
Injussi, Ventrem sistere posse dabunt.

APHOR. 16.

A morbo laterali, vel pulmonaria habito, alui profluvium superveniens, malum.

Consule Pulmoni, laterique fluentibus Extis:
Est prope, ut illorum frustula rapta fluant.

APHOR. 17.

Lippientem Alui profluvio corripi, bonum.

Quid teneros sensus male torquet hic excitus (Humor?
Præcipitem vindex cogat abire Vigor.

APHOR.

APHOR. 18.

Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale est.

(eheu
Quā socialis Amor bene junxerat Arctubus,
In frustra hæc, scisso fædere, Vita fugit!

APHOR. 19.

Cum discissum fuerit os, aut cartilago, vel nervus, vel genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit.

Nulla Phrygum futura juvat, nō licia, gluten
Nectere non ullum talia scissa valet.

APHORIS. 20.

Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

O male miste Cruor tetris humoribus Alui!
Marcor it atratus, qui modo Coccus erat.

APHOR.

APHOR. 21.

In insanientibus si varices, vel hæmorroides supervenerint, insaniæ solutio.

Deliro Capiti regimen fore Tuber iniquum
Crede: Malum valuit sæpe fugare Malum.

APHORIS. 22.

Quæcunque rupta ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio solvit.

Hastula sternat iter, jam Occiput eijcit Hostẽ:
Sanguineo hic tandem tramite pulsus abit

APHOR. 23.

Si Timor, atque Mæstitia longo tempore habentes perseverent; ex eo atra bilis significatur.

Has nebulas, hæc mæsta vides assurgere? bilẽ
Imo substare in Pectore, disce nigram.

Aphor.

APHOR. 24.

Si quod intestinorum gracilium discinditur, non coalescit.

Componet scissas quę sedula Dextra papyros?
Frustula quæ vulnus consolidanda sinet?

APHOR. 25.

Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum, ab interioribus ad exteriora, bonum.

Ni fugias, subsiste, Tumor, cutis hospes, & ho-(stis:
Nõne satis primo hoc impete mẽbra dolẽt?

APHOR. 26.

Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio solvuntur.

Quod solidos fodicat nervos, deliria pellunt:
Nam Fatuos etiam posse juvare, liquet.

Aphor.

APHOR. 30.

Puer podagra non laborat ante usum venereorum.

Caste Puer, niveis extendas moribus Ævum:
Non unquam podagram Lilia pura gemũt.

APHOR. 31.

Dolores Oculorum meri potio, aut balneum, aut venæ sectio, aut medicamentum solvit.

Consulto Dolor hic ponet, sic doctus, Jacco:
Ast alio præstat Consule, sana sequi.

APHOR. 32.

Balbi ab alui profluvio maxime capiuntur.

Effluvia e Balbo salebrosa, incondita labro,
Quam male dejectis Exta sequũtur aquis!

APHOR. 33.

Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.

Ne latus indoleat circum pungentibus Auris,
Tristis hic assurgens Ora per halet Acor.

APHOR. 34.

Quicunque calui sunt, his magnæ varices non fiunt, quibus vero caluis varices magnæ superveniunt, hi rursus capillati fiunt.

Ne stupeas, dũ Vena fluit quasi paupere rivo;
Duratas patrio in vertice cerne Nives:
Depile nec rursus mirũ est Caput ire comatũ;
Ubere, fæcundant quæ liquefacta, pilo.

APHOR. 35.

Aqua inter cutem laborantibus, tussis superveniens, malum.

Ista graves sonitus hydraulica tympana pro-(dunt.
Quã melius tumido pendula Vẽtre, silent!

Aphor.

APHOR. 36.

Difficultatem urinæ vena secta juvat; secare vero interiores.

Se dare difficilẽ dediſcat hic Humor acerbus
Dulcior en promptis greſſibus unda ſalit,

APHOR. 37.

Ab angina habito, si tumor fiat in collo, bonum, foras enim morbus deducitur.

Quę inſurgunt Colubri turgẽtia colla timeto;
Non ita, ab Angina, ſi tumuere tua.

APHOR. 38.

Carcinomata occulta omnia melius est non curare; curati enim cito pereunt; non curati vero longius tempus perdurant.

Qui latitãtCancri ferrũ indignantur,& ignes;
Lenê lini: canos pectere forte dabunt.

APHORIS. 39.

Convulsio fit ex repletione, vel inanitione, ita vero & singultus.

Excitus, ut discis, convellit corpora Nervus:
Singultus Aluo flamina pressa cient.

APHOR. 40.

Quibus dolor circa ilium fit absque inflammatione, his febris superveniens morbum solvit.

Ilia quæ fanet, Physisen incognita, Febris.
Hic calor est medicus, ni calor alter erat.

APHORIS. 41.

Quibuscunque suppuratio in corpore existens non innotescit; his ob crassitudinem puris, aut loci non innotescit,

Pus nocet, & sæpe occultat sub pectore dāna;
Pariete vel crasso ridet ab Arte minas.

APH.

APHOR. 42.

Morbo regio laborantibus, si fiat hepar durum, malum.

Ictericus flavo male tingitur ora veneno:
An obduratum diluet illa jecur?

APHOR. 43.

Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his superveniente nova difficultate intestinorum, aqua inter cutem, aut levitas intestinorum advenit, & moriuntur.

Damna vehit funesta Lien patientibus Extis;
His levibus nimio ex imbre peribit Hydrops.

APHORIS. 44.

Quibus ex stillicidio urinæ ileos supervenerit, in septem diebus pereunt, nisi, febre superveniente, satis urinæ fluxerit.

Volvulus octavo deturbat Sole jacentem:
Nunc opus est Febris robore: Vita labat:
Hæc interclusos recludat Amica canales:
Ni faciat; pudet heu dicere! turpe vomet.

APHOR. 45.

Ulcera quæcunque annua sunt, aut etiam diuturniora: os abscedere est necessarium, & cicatrices cavas fieri.

Vix duodenus erit, qui dissipet Ulcera Mensis:
Osse putri subeat quid? patiare cavos.

APHORIS. 46.

Qui Gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

Gibbosi ad Terram declines Asthmate pressi
Annorum, ad Tumulum, corripuere viam.

APHORIS. 47.

Quibuscunque venæ sectio, vel purgatio cum medicamento convenit, hos Vere purgare, vel venam incidere oportet.

Ver juvit, quos Vena decet dissecta, vel herbæ
Laxantis succi: Ver meliora dabit.

APHOR. 48.

Lienosis difficultas intestinorum super-veniens, bonum.

Argue ne querulus Naturam, haud mollibus
Hāc laudat sanis risibus ecce Lien. (extis.

APHOR. 49.

Quicunque Morbi podagrici fiunt, hi se-data quadraginta diebus inflammatione, finiunt.

Inrequieta Quies! vigilata heu Luna, Podagra
Inclamat, toto mense nec illa silet.
Si venit ad calcem, si morbida flāma per imas
Præcipitet plātas, vox quoque mæsta cadet

APHOR. 50.

Quibuscunque præciditur cerebrum, his necesse est Febrem, et bilis vomitum supervenire.

Parcite, sæva Caput terebrātia Scalpra, Cere-
An bilē, an Febres sponte ciere juvat? (bro.

Aphor.

APHOR. 51.

Quicunque ſani dolore Capitis repente capiuntur, et ſtatim muti fiunt, et ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi Febris appreherit.

Inſtabilis rerum Ordo petit ſubito impete Sa-(num:
En Stertit, muta eſt lingua, repente ſtupet;
Mēbra riget: dabitur Septena Luce Sepulcro;
Ni redimat Febris, ni fuget iſta gelu.

APHOR. 52.

Oportet vero & conſiderare oculorum in dormientibus ſuſpectiones; nam ſi quid album commiſſis palpebris ſubinſpicitur, neque ex alui profluvio, aut ex medicamenti potione iſtud contingat, malum eſt ſignum, & lethale valde.

Ne Tu etiam connive; oculos urgente Sopore:
Occluſos ſpecies an notet alba, vide:
Sors nigra fit propior; ſi forte recluſerit illos
Alba Dies, etiam funera nigra time.

APH.

APHOR. 53.

Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores, quæ vero cum studio, periculosiores.

Emendat facilis, Miscens deliria risu.
Isthæc, si fuerint seria, trade flagris.

APHOR. 54.

In acutis passionibus, quæ cum febre sunt suspiria, malum.

Grāde Malum, comitāte Febri, suspiria dicūt;
Hac solet & Vitæ Spiritus ire via.

APHOR. 55.

Dolores podagrici Vere, & Autumno magna ex parte moventur.

Nec Flores, nec Poma lēges renuēte Podagra:
Stragula, quæ voluit, demetet arua Manus?

Aphor.

APHOR. 56.

In morbis melancholicis ad hæc periculosi decubitus apoplexiam, corporis vel convulsionem vel furorem, vel cæcitatem significant.

Naturâ Tristes aptè decumbere vellem:
Heu malè compositi quam nocuere Situs!

APHOR. 57.

Apoplexiæ autem fiunt maxime à quadragesimo anno, usque ad sexagesimum.

Quę media Octavo, & duodena Tēpora lustro,
Prostratas Animas sæpe repente vident.

APHOR. 58.

Si omentum excidat, necessario putrescit.

Contectâ, mēbrana cadens putrescit, ab Aluo:
Quam melius steterat sedibus apta suis!

APHORIS. 59.

Quibuscunque à coxendicum dolore molestatis excidit coxa, & rursus incidit, his mucores superveniunt.

Sordide Muce tuis e Naribus ire recusas?
Quid vagus es? pravo ex Hospite coxa gemit.

APHOR. 60.

*Quibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis diuturno excidit coxa, **his crus** tabeſcit, & claudicat, ſi* ***non uruntur.***

Nil ſua Vulcano favere incendia claudo;
Deciduus ſummo ex Æthere claudus erat:
At cui coxa cadit, cui decolor addita Tabes,
Ne crus diſtortum claudicet, illa dabunt.

Finis Libri VI.

LIBER VII.

APHORISMUS I.

In morbis acutis frigus partium externarum malum.

(mus: ignes
Forte Malum excrucians, Rigor asperat exti-
Occlusos patulæ non domuere Nives.

APHORIS. 2.

In osse ægrotante, caro livida, malum est.

Invidię Vnius non est nota propria livor:
En, Os dum patitur, livet amore Caro.

APHOR. 3.

A vomitu singultus, & oculorum rubor, malum.

(bra,
Heu mala pertimeas, Vomitus si aspergire ru-
Infecere oculos; quin & anhelus hias.

APHOR. 4.

A sudore horror, non bonum.

Quam melius vivit, fusis sudoribus, Arbos!
Triste, tuis horres? proxima damna pave.

APHOR. 5.

A furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio, bonum.

Enumerata Furor traheret si signa; Timorem
Excutias: scitum est: Bina venena juvant.

APHOR. 6.

In morbo diuturno fastidium cibi, & dejectiones sinceræ; malum.

Dum Gula fastidit, sequiturq; egestio sicca,
Hostili Morbo limen utrumque patet.

APHOR. 7.

Ex multa potatione, rigor, & desipientia; malum.

Infaustus Menti Bacchus solet esse; rigentes
Si voluit motus addere, pejor erit.

APHOR.

APHOR. 8.

A tuberculi intus ruptione exolutio, vomitio, aut animi defectio fit.

Num Vomitus, lędit minus an defectio Mẽtis?
Alterutrum jacient Tubera rupta Malum.

APHOR. 9.

A profluvio sanguinis desipientia, ac convulsio, malum.

Quæ bona prædicas, ubi totũ ex imbre cruẽto
Contremuit Corpus, Verba nec apta sonãt?

APHOR. 10.

Ab Ileo vomitus, singultus, desipientia, vel convulsio; malum.

Ludicer ad Pueri plausus se circinat orbis:
Heu vocat ad tristes Ileos Ora modos!

APHOR. 11.

A morbo laterali inflammatio pulmonis, mala.

Pulmonis lateri contermina flamma, Jacenti,
Ni gelidos Cineres, tædia longa feret.

APHORIS. 12.

A pulmonis inflammatione, phrenitis, malum.

Formidant nimium Medici, cui Viscera flam- (manti;
Quæ violenta subit, Causa Phrenesis erat.

APHOR. 13.

Ab æstibus fortibus, aut distensio, aut convulsio: malum.

Heu timeat dejecta Caro febrilibus iris!
Sic prostrata feris Trabs datur esca focis.

Aphor.

APHOR. 14.

In Capitis ictu obstupescentia, & desipientia : malum.

Ad Capitis Uulnus stupor est infaustus ac omen
Pejus erunt stultis addita verba notis.

APHOR. 15.

A sanguinis sputo puris sputum; malum.

Formidanda lues sputo sociata cruento:
Expuitur facilis, pure rubente, Vigor.

APHOR. 16.

A puris sputo phitis, & fluxus : cùm verò sputum retinetur, moriuntur.

Quid faciat dubia in causa? pus expuat Æger?
En fluxos succos, en maciata Phitis:
Contineat? reprimat? furit illud stare coactũ:
Erumpet: Vitam Vindicis Ira trahet.

APHOR. 17.

In hepatis inflammatione ſingultus; malum.

Singultare Animam cũ fecerit hepatis æſtus:
O triſtis Cytharæ Vox male ſana ſequax!

APHOR. 18.

A vigilia convulſiones, & deſipientia: malum.

Lectulus inſomnis, Convulſio, ſtulta Loquela,
Dicantur lethi Nuncius eſſe triplex.

APHOR. 19.

In oſſis exuitione Eryſipela.

O pudor! heu Morbus! nudata en Oſſa; pudori
Accedit pejor, pelle tumente, rubor.

Aphor.

APHOR. 20.

Ab Eryſipelate putredo, aut ſuppuratio: malum.

Hoc Ulcus penitos valet ut pervadere ſenſus;
Conturbat, vitiat, Pus putre ad Arma vocat.

APHOR. 21.

In veterno Tremor: malum.

Execrare gravem Mẽti, cerebroque Veternũ;
Et mage, cum fuerit mobilis ipſa Quies.

APHORIS. 22.

A forti in ulceribus fluxu profluvium ſanguinis: malum.

Ulceris abſtergunt non ſat cũ lina cruorem;
Inclama auxilium Durius; Urge Senem.

APHOR. 23.

A ventris dolore diuturno, ſuppuratio.

Excutitur quando prolixo a turbine Venter;
Viſcoſa, immitis, turbida gutta cadet.

APHOR.

APHOR. 24.

A dejectione sincera difficultas intestinorum.

Humida quæ flueret, siccata, recocta, cremata,
Quid tulerint Miseris? exta plicata gement.

APHOR. 25.

In ossis præcisione, desipientia, si in vacuum apprehenderit.

Suspensa præcide Manu, qui dividis Ossa:
Nutat ab hoc alto Vulnere Mentis Apex.

APHOR. 26.

In medicamenti potione convulsio, lethalis.

Sævior, iratus dum fit medicamine Morbus,
Convulsum Tumulo, Morte vocante, para.

APHOR.

APHOR. 27.

In forti dolore Ventris, partium externarum frigiditas: malum.

Ventre fatigatis nimium succurre: dolenti
Pejor erit quatiens extima Membra rigor.

APHOR. 28.

Mulieri Utero gerenti, si tensio superveniat, facit abortum.

Urna præit Cunas, Pueri præit insuper Ortū,
Cum madet effluviis sæpe coacta Nurus.

APHOR. 29.

Quando os, aut chartilago, aut nervus abscinditur in corpore, non augetur.

Arbuta fæcundat gladius, succisa reponit;
Non ita, qui nervos, Ossaq; rite secat.

APHOR. 30.

Qui alba pituita retinetur, si fortis Ventris fluxus supervenerit, a morbo liberatur.

(mor,
Viscera conturbat qui crassus, & albulus Hu-
Devolvet facili labilis Unda via.

APHOR. 31.

Quibus in alvi profluviis excrementa spumosa sunt, his ex Capite pituita defluit.

Bullis ergo etiam Excrementum vile superbis
Tollitur? infirmũ est, Plebe tumẽte, Caput.

APHOR. 32.

Quibuscumque febricitantibus iu urinis fiunt sedimina, velut farina crassior, longam ægritudinem fore significat.

(cribro;
Utitur haud apto Febris hæc mala Vernula
Crassa cadunt: subiget longior illa labor.

APHOR.

APHOR. 33.

Quibus autem biliosa sedimina supra tenuia, acutum morbum significant.

Assurgunt tenui dominata sedimina bili?
Heu grave in Ægrotos tollitur Imperium!

APHOR. 34.

Quibuscunque urinæ distantes sunt, his turbatio fortis in corpore fit.

Anterior quę lympha fluit sibi tempore dispar,
Fædere, signa dat haud intima stare, pari.

APHORIS. 35.

Quibus in urinis bullæ subsistunt, morbum renalem, & longum significant.

Providus, offensis age, consule renibus; Hostis
Non posuit; quamvis Arma rotunda jacent.

Aphor

APHOR. 36.

Quibus insidens pingue simul totum, his renum vitium acutum significatur.

Pinguia cum servas dejecta hæc jascula; renes
A jaculis scuto contege, si quod habes.

APHORIS. 37.

Quibus autem morbo laterali laborantibus prędicta accidunt signa, doloresque circa spinæ musculos fiunt, siquidem circa loca exteriorn fiant; abscessus quoque futuros expecta: si vero dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abscessus expecta futuros interius.

Extima detrudet Dolor extimus; intima cōdit
Interior, morbo, quæ male mota, ferit.

Aphor.

APHOR. 38.

Quicunque evomunt sanguinem, si sine febre quidem, salutare, si vero cum febre; malum: curare vero acerbis, & refrigerantibus.

Ni cogunt febres, juvit vomuisse cruores.
Potio sed Venis arctet acerba cutem.

APHORIS. 39.

Distillationes in ventrem superiorem suppurantur intra viginti dies.

Summus ut humescit Venter, bis dena redivit
Post ubi Lux, aptes lintea; marcor adest.

APHOR. 40.

Si quis sanguinem minxerit, & grumos, & urinæ stillicidio laboret, & dolor inciderit in fæmur, & imum ventrem, pectinemque, quæ circa vesicam sunt male se habere significant.

Vt quid Ego tot signa Mali memorem? Cruor (unus
Tristibus his satis est, jussus abire vijs.

APHORIS. 41.

Si lingua repentè incontinens fuit, aut aliqua pars corporis, ſtupore elanguit, tale eſt melancolicum.

Eſt ſtupidus pejor, phantaſmate luſus inani;
Turpia non reticet, promit inepta loquax.

APHOR. 42.

Si Timor, aut mæſtitia longo tempore hominem habentes perſeveraverint, tale eſt melancolicum.

Triſtitia Corda diu, dubiiſque pavoribus ęgra,
An quondam illimi a ſanguine nata putes?

APHOR. 43.

Si Senibus ſupra modum purgatis ſingultus ſupervenerit; non bonum.

Singultare Senem, cui larga refluxerat Alvus,
Crede malũ: labat hoc flamine Cymba vetus.

APHORIS. 44.

Si febris non ex bile habeat, multa aqua calida ſuperfuſa, ſolutio fit febris.

En nova Cura Mali, ni bilis febribus inſit;
Elige grata, Caput Balnea amica lavent.

Aphor.

APHOR. 45.

Mulier ambidextra non fit.

Vna ſatis Nuribus ſitDextra,imbellibus,una,
Quæ ſtamen pectat,quæ ſatis,Vna rotet.

APHOR. 46.

Quicunque ſuppurati uruntur, vel ſecantur, ſi pus purum fluxerit, & album, evadunt, ſi vero ſubcruentum, & fœtidum, pereunt.

Poſt ignes,gladiumq;feret ſua funera Vulnus,
Sanguine ſi miſto fœtida, & alba vomet.

APHOR. 47.

Quorum hepar ſuppuratum aduritur, ſi pus purum fluxerit, & album, evadunt; in tunica enim bis pus continetur; ſi vero, quaſi amurca, pereunt.

Uſtodum ſordet pus Hepate; Vitæ oleoſus
Defecit bibulæ ſuccus: amurca patet.

APHOR. 48.

Dolores oculorum post meri potionem, & aquæ calidæ balneum, venæ sectione curato.

(pendat:
Exhaustos calices malus Emptor sanguine
Ne doleāt Venæ, & lumina, ametur Aqua.

APHOR. 49.

Aqua inter cutem laborans, si à tussi habeatur, desperatus est.

(helum;
Addet ut huic Morbo sua tympana Pectus an-
Clamatur duplici Voce: caduca Salus.

APHORIS. 50.

Vrinæ stillicidium, & mingendi difficultatem vini potio, & venæ sectio solvit: incidere autem oportet internas venas.

Quæ pigrâ subsidet, pelletur arena Lyæo:
Ast heu! ni prosunt vina, Lapillus inest.

Aphor.

APHOR. 51.

*Ab angina habito tumor, & rubor in pe-
ctore superveniens, bonum; extra enim
vertitur Morbus.*

Faucibus obductis succurrat Pectus amicum:
Pro Vita, tenue est, bulla cruenta, Malum.

APHOR. 52.

*Quibus cerebrum sphacelatum, idest, cor-
ruptum est, in tribus diebus pereunt.*

Eheu distentum sub Vertice putre Cerebrum!
Proxima prævenit marcida busta Caput.

APHOR. 53.

*Sternutamentum fit ex capite, calefacto
cerebro, aut humectato; eo quod in capite
inani; aer enim intus contentus extra
erumpit, sonat autem, quoniam angustus
ipsi est exitus.*

Et tuus expansum displodit ad Æthera bõbos
Frontis Apex; fuerant Flabra coacta Nitrũ.

APHOR. 54.

Quicunque hepar circumdolent, his febris superveniens solvit dolorem.

Dejecto nimium cui displicet hepatis angor,
Credite, subsidium, febre calente, venit.

APHOR. 55.

Quibus a venis sanguinem mittere confert, his fere venam oportet secare.

Vere salit Rosa læta suo; si sanguinat aptè
Vena tibi, ad columẽ quã bene Vere rubet!

APHOR. 56.

Quibus inter ventriculum & septum pituita reposita est, & dolorem affert non habens exitum, neque ad alterum Ventrem, his per venas ad Vesicam, pituita versa, solvitur Morbus.

Quid Pectus, quid Ventrem angis Pituita? Ca-(nales
Labere ad indictos: est tibi trames: abi.

APHOR.

APHOR. 57.

Quibus Jecur aqua plenum in omentum eruperit, ijs venter aqua repletur, & moriuntur.

Quã malè devoluit jecur hæc sua flumina vẽ-
Heu velut ad Lethẽ Vita coacta bibet! (tri!

APHOR. 58.

Pendiculatis oscitatio, horror vinum aequale aequali potum solvit aegritudinem.

Ad põdus quæ lympha mero cõmista, iuvabit,
Cum totum Corpus tenditur, horret, hiat.

APHOR. 59.

Quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

(Mutus;
Naturam haud culpet, post hæc qui Vulnera,
Quin amet; elinguis quę mala verba dabit?

Aphor.

APHOR. 60.

Corporibus carnes habentes humidas famem adhibere convenit: fames enim corpora ficcat.

Quod crafsũ, jejuna Fames in Corpore duret:
Humorefque tuos ebibat ipfa Sitis.

APHOR. 61.

Quibufcunque cruda ex aluo fecedunt, ex atra bile funt, fi plura, copiofiore, fi pauca, pauciore.

(abundat;
Nec Probrum, neque cruda coquit, cui bilis
Utraque digereret, fi foret illa minor.

APHORIS. 62.

Si quis cibum febricitanti dederit, ut fano robur, ita laboranti, morbus,

Imprudẽs, male docta Nurus, febriẽtibus efcã
Porrigis? ingefta hac, grandior ignis erit.

APHOR. 63.

Quæ per vesicam excernuntur inspicere oportet, si talia, qualia sunt, excernuntur: quæ igitur his minime similia sunt morbosiora sunt hæc, quæ vero sanis similia, hæc minime.

(Magistrum:
Consule Vitra; Senem haud pudeat didicisse
Edicent Morbum conscia, si quis inest.

APHOR. 64.

Et quibus dejectiones si stare permittas, & nō moveas, velut strygmata subsistunt; & si pauca, paucus est morbus, & si multa, multus: ijs confert alui purgatio; quod si aluo non purgata dederis sorbitiones, quanto plures dederis, tanto magis nocebis.

Fætida quin etiā Medicum strygmenta doce-
Natura in turpi Codice multa notat. (būt.

APHOR. 65.

A pituita alba aqua intercus supervenit.

Non satis est albis oppleri humoribus Aluum;
Morbida quin tumidam sæpe fluēta gravāt.

APHOR.

APHOR. 66.

Ab alui profluvio difficultas intestinorum.

Intima durantur Venis refluentibus exta.
Dura quid intulerint, sic ubi molle nocet?

APHOR. 67.

A difficultate intestinorum, levitas intestinorum supervenit.

Quod venit, ut dispar Morbo, non sẽper Amicum est:
Difficiles Aluos en vada crebra premunt.

APHOR. 68.

A corruptione abscessus Ossis.

Putrida languescũt Ossis quæ fragmina, spõte
Tu sine, decedant: vi terebrata, frement.

APHOR. 69.

In Lethargo tremor; malum.

(somnus:
Qui bonus,est pariter, Requies placidissima,
Intremuit? Frater, dicite, Mortis adest.

APHOR. 70.

Quibus in febribus quartanis sanguis e naribus fluxerit: malum.

Quartanā inspergūt Nares dū sāguine febrim;
Ut Canis, & carnes Ista cruenta petet.

APHOR. 71.

Sudores in diebus judicatoriis oborientes vehementes, & veloces, periculosi sunt, qui expelluntur e fronte velut guttæ, & aquæ salientes, & frigidi vade, & multi. necesse enim est talem sudorem prodire ex doloris excessu, ac expressione diuturna.

(undis!
Quam bene Montis Apex gaudet salientibus
Non ita Frons, Critico si venit ore Dies:
Occinit ille suis Aquilonibus; Ista rigentem
Execrata Febrim, ceu Nivis imbre, gemit.

APHOR.

APHOR. 72.

A morbo diuturno etiam alui defluxus malus.

Qui jacuere diu, valido quo robore ſurgent,
Integer educto ſi vigor Amne fluit?

APHORIS. 73.

Sudor multus calidus, vel frigidus ſemper fluens humorem abduci robuſto quidem ſupra, debili vero infra ſignificat.

Quæ fortes Animæ multo ſudore madeſcunt,
Hac ipſa purget, Qui valet Arte, via.
Sed Graciles Cervina timẽt ſibi Cornua; Pul-
Gramineæ Caſiæ mollior aptus erit. (vis

APHOR. ULTIMUS.

Quæcunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat; quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, ea incurabilia exiſtimare oportet.

Lenia nõ proſunt Ægro? nõ Cultra? nec Ignis?
Inclama: Cloto ad Limina, nulla Salus.

L. D. B. V.